PANIZZI

1561

[illegible]

L. LIV 10/P

4710
4709
4708
6810



PANIZZA

63549

DE VENAE SECTIONE

IN INFLAMMATIONIBVS QVIBVSCVNQVE FLVXIONE GENITIS,

PER SANGVINIS MISSIONEM CVRANDIS,

LVDOVICI PANIZZAE MANTVANI
Diſputatio, ac Deciſio,

TRIBVS PRAECLARIS PHYSICIS,
tribusq; clariſsimis Medicis rem pro
ueritate decernentibus.

CVM PRIVILEGIIS



VENETIIS
Apud Ioan. Franciſcum Camocium, Ad ſignum Piramidis.
M D LXI


PLAT.
ARIST.
NOSTRI DEFECE
RE
GAL.
CONFVSIO RERVM.
HIPOC.
A NOBIS ILLVSTRATI REM VIDERE
A PRECEPTORIBVS OB RONEM DISCESSIMVS
AVI CEN
MES.
AVER.
NOS PHI. NOS MED. TIBI PANIZZE GAVDEND. DICIMVS REM PROBASTI ET DVBIA ABSOLVISTI.
PROBI HŌIS IDEA EST SAPIENTIA IMPROBI VOLVPTAS
DIVINIS HOMINIBVS MORTALES SINT GRE.

CLARISS. PHILO. AC MEDICO LVDOVICO PANIZZAE,

Paulus Rocociolus Mütinenſis Illuſtriſſ. Caroli Gongia. Marchionis Medicus. S. P. D.

SI partem noſtri patria, partem ſibi amici uendicant: cur toties me fruſtra rogare ac urgere (quatenus tamen meæ in te obſeruantiæ progredi licuit)paſſus es:ut tuum fœtum æderes? Nihil eſt,quod abortum timeas: nam legitimi pactus à Flacco præfixa ſcriptoribus dies exacta eſt.mihi potius(ni fœconditatem tuam & cōceptionem ſcirem eſſe non ludicram)mola timēda:cū à conceptu primo annus iam agatur duodecimus:ſed certo ſcio tarditatem magno fœnore cōpenſabis. Quòd ſi forte tibi ipſi nō places recte facis:ſatis eſt: dum uenerando tremendoq; tribunali tot clariſſimorum iudicum places.Hinc tua innoteſcit eruditio : quæ laudatos habet authores.Si enim in magnis uoluiſſe ſat eſt, quāto ſatius maiora,maiorum iudicio, ac lata ſentētia obtinuiſſe? Forte conſenſus Regum & priuilegia huius(quæ dudum fuerat rixoſa contentio)ſancitæ legis promulgationem hactenus diſtulere.At cū iam preſto ſint omnia:rūpe moras procraſtinatur nimie,pande,æde, in medium affer theſaurum diligenter elaboratū,ac dignum ne dum diurna,uerūetiam lucernaria lectione,ut ueritas nullo fuco,nullo tegatur operculo:ſed ingenue propaletur:Trade Typographis, ſi nō ex animo tuo(qui alioqui ſemper ſtuduiſti rem litterariā augere,ac poſteris prodeſſe)ſaltem tot petentium coactus efflagitationibus.Itaq; te etiā atq; etiam rogo, obſecro, & obteſtor: quòd ſi compulſus, per me ad quicquam adduci posſis,in ſtudioſorum gratiā:qui te quidē perofficioſe,ac peramanter obſeruant : opus tuum uariæ lectionis, ac miræ farraginis in publicum prodeat.Dii boni quàm audax & acre in argumētando,quàm diligens in reprobando,quā inconcuſſum in reſpondendo permanet:& quanuis maiora,ac lautiora(quæ noui)in ſcriniis tuis deliteſcant:expectatiora tamen eſſe non poſſunt: cū hoc in tanta ſit expectatione, vt litteratis nihil gratius,nihil humano generi ſalubrius,poſsit contingere:quāobrem oēs non expectāt ſolum, ſed vno ore poſtulant. Te æternitas manet Panizza:eam ſincipite apprehendiſti,ſi ſola laus,quam doctrina peperit,immortalis eſt. Socraticam

redoles

redoles diſciplinam. Platonicam ſapis vbertatē. Ariſtotelē ſic vſquequaq; imitaris: vt eundē in omnibus præ te feras. Hippocratem vero & Galenum atq; Auicennā ita diligenter obſeruas: vt in eorum aſsidua lectione ne Momus quidem te prętereat: vt fœlix hoc ſæculum iudicare nō verear: cui inter tot bella, tantasq; calamitates te medicū habere contigerit. Defecato rectoq; loquor pectore: ſucco enim loliginis careo. Quid verbis opus? Ipſe met liber non ſecus ac lydius lapis hæc oĩa, vel nobis tacētibus indicat. Quapropter acceleres, vt iam laureata proſiliat æditio: nec ad me reſcribas ingentē prouinciā ſubterfugiens: nam libellum ipſum coram loquentem demoror: quem, quāprimum ſtanneis exſcriptus fuerit characteribus, ab hinc decimū menſem, Clariſsimo Petro Carnicer, viro ſuarū ob virtutum ac ſcientiarum culmen, nunquam ſatis laudato, Sereniſsimiq; Romanorum Regis archiatro, & gratiam tuā inire peroptanti, citatis pedibus trāſmittere ſum pollicitus. grata fuit pollicitatio: gratius futurū munus: quam gratiſsima autem erit veritatis enodatio. Cū enim Viennæ hūc pro noſtra neceſsitudine, officii cauſa cōueniſſem, multaq; inter nos commentaremur, vt fit inter litterarum ſtudioſos, ex ſermonis ſequela, in controuerſiā de venæ ſectione in pleuritide incidimus: hic conſulto diſceptatiōis progreſſum prætereo: Satis ſit te reſcire, me tuis indutum plumis, opinionem tuam, tuam inquam, tuisq; fultam methodis in mediū adduxiſſe: Quæ illi tantopere placuit: vt nihil aliud magis quàm ipſam expectet. Hanc eādem multi (ſic Pegaſus tuus: me intelligis: nam totā ſeriem tenes: Germaniā ac Auſtriam afflauit) & hi quidē indigenæ, at non ignobiles Medici manent & deſiderant: ac vt à te veritatem agnoſcant, & illuſtrētur, in dies me ſuis litteris torquēt ac obruunt. Vt nullus vlterior ſit excuſationi locus. Vide quo nā res redacta ſit. Nā velut ad ſacram cōpellor anchoram: dū his, qui de tua mora conquerūtur, reſpondeo. Nunquā ſero factum eſſe, dolendum eſt: quod bene factū fuerit: non.n. quiſpiā prudens quàm propere, ſed quàm bene quid actum ſit, ſolet perquirere. At cum omnibus ad ſolidā æditionem ſpectantibus, te probe perfunctū eſſe, modo intellexerim: vt tuis fruamur: morā celeritate rependito. Quòd ſi te tibi ſubtrahens ſecus feceris: te ipſum proprio honore, & non pœnitendis lucubrationibus defraudabis: nos vero vana ſpe tātum fruſtrabimur. Sed nō dubito (quæ tua ſemper fuit benignitas, & conſuetudo) te promiſſis manſurum, ac vota noſtra vberius expleturum. Vale.

Dat. Gazoli, pridie nonas Iulias. M D XLIIII.

EXAMINATORI DOCTORI egregio, Ludouicus Paniza Bene Agere.

uæ erga me humanitatis Examinator clariſſime, ſic à me iure uocate, minime oblitus ſum, quum multis iam elapſis annis unà cum duobus familiaribus tuis philoſophis & amicis me ſalutatum ueniſti, Cuius quidem dulciſſimæ ſalutationis memoria adhuc fruor ac letor, & eo magis quum te ad amplum & honorificentiſſimum apicem peruenturum breui proſpiciam (tantæ agnoſco ueſtigia flãmæ) Sed ut ad rem ueniam, ſcias uelim in hac mea prolixa ætate, Duo me nunquam ab inſtitutoribus meis ſapientiſſimis extrema cõſpecta uidiſſe, quorum alterum in Auicenæ dedecus, cui olim innumerabiles cũ humanarum tum diuinarum ſcientiarum cultores tantum tribuère, exiſtebat; Alterum uero Galeni honoris celſitudo ac faſtigium, ex quo uterq; celeberimos honores & laudes merentur, in his potiſſimũ quæ apte et ſapienter ac doctè tradiderunt; Quẽadmodũ aliquid ſi quis quod in mortaliũ damnũ et cladem foret edidiſſet (Pace ſua hoc dixerim) non mediocri quidem labe inurrendus eſſet, atq; alto cum ſupercilio damnandus, perinde ac philoſophorum maximus in noſtri documentum memoriæ tradidit, eo ſane loci, ubi inquit, amicus quidem Socrates, Amicus Plato, magis amica ueritas: Et quod turpius eſſet, quum quis forte ſibi met ipſi cõtradixerit, hic hic nimirũ lapſus nullam admittit excuſationem. Verũ ſi quis ſtrucii inſtar uentriculum ad concoquendũ ferrum robuſtum haberet, duo tamen ei præcipue conſideranda ſunt, Nempe incomodum quod inde proficiſcitur, quæ certe ingens eſt mortalitas, alterum uero ne iudicii omnino expers uideatur, Sed primus quidem error tanti eſt, ut quilibet aduerſus tantam ac talem perniciem inſurgere deberet (Ita me Dii ament) illud ipſum Aliabatis concernere uideor, quum de Dei Optimi Maximi Glorioſi ira diuinaret. Tres equidem ſtatus alterat, mutat, atq; labefactat, Diuinũ (Aiunt ſpiritualem) quo animas excruciet; Hinc nunc tot deprauatæ hæreſes emergunt. Mox illum qui ad mundi fortunas pertinet,

accriter præmit & urget, inopias, mendicitates, ſæuas tirannides afferrendo. Poſtremum uero quum optimi deſerantur, maligni, impii, ineruditi, nugaces inſurgunt medici. In qua quidem methamorphoſi cœliq; intemperie, En quod Galeni gloria ac dignitas mirum immodum inualuit; Auicenæ uero doctrina exculta ac plurimum elaborata eius dogmata euanuere, eoq; uſq; uentum eſt, ut ei mortis periculum & incendiũ ſæpius denunciauerint, ut cœteras iniurias ac contumelias crebro illatas taceam, Quamobrem uerreor, ne latebras, atq; abdita ſubijerit loca, Quod per Iouem nunquam facere auſus fuiſſem, ſed utriusq; & quidem magni authoris potius diuina ſcripta in ſacrarijs atq; in archiuis pro eorum defenſione pugnandis, conſeruari uoluiſſem, falſa uero ac indocta (ſi qua ſunt) pernicioſa ue præcepta obliterari, quemadmodũ illud de praua uenæ ſectione, et de minorãte purgatione abolitione. Porro quæ ſic malè admiſſa, aut ex aduerſo iniuſte atq; improbè negata, non ſecus enim ea corporibus obſunt, ac animabus peruerſæ hereſes, Quo circa radicitus euellere oportet: Verum quia Tu in Galeni ſentẽtia uerſatus ac omnino alitus es, illud hercle Philoſophi problema uerificaſti, quũ dicit, Quid eſt, quod ſi uerſamur cum ſanis, ſani non efficimur, Sed cũ ægris ægri euadimus? Addens, quod idem eſt iudicium de moribus: Cui & nos non incongrue addere uolumus, de multis aliis habitibus euenire, ut citaredus ex uſu citaredi, & Tu ex conſuetudine Galeni familiaris tui Galenicus factus es. Quũ igitur fœlicioribus in annis, mei doctiſſimi ac grauiſſimi magiſtri medicam facultatem ab Hippocrate ortam dimiſſo Galeno, cum Auicena medius fidius eam tractabant, hunc ſiquidem peculiarem ſeruantes ritum, ut in huiuſmodi profeſſione cuncta ad philoſophiam (ut ad reginam) reducerent, Aſſerentes, Quod ſicuti qui particularem præ manibus habet concluſionem, illius ignoratis præmiſſis, non ſcientificus, ſed uulgaris duntaxat particularis eſt medicus, eodem modo qui circa uniuerſam eã facultatem ſine philoſophia in ſe habente omnes ferme premiſſas, nõ medicus niſi uulgaris habendus eſt: Hac ratione qui priori uiuebant æuo, in quo inſtitutores mei enutriti fuerant, ipſũ Galenum dimiſerant, atq; Auicenam ſumma cum ueneratione colebant

lebant. At dices, Quis nam tibi dixit Galenum à philoſophia alienum? Quum contra Briſotus, & Curcius Viri Illuſtres eum in maximum habuerint philoſophum? Signum adducentes, quod crebro in patrem philoſophiæ Ariſtotelē liberè inuæhebatur, quod nō feciſſet niſi ualidus quidem philoſophus extitiſſet. Cui pætitioni reſpondens dico, quod Auicena & Aueroes illi quidem ſunt qui huiuscæ calumniæ authores fuere; Parcāt mihi Briſotenſes ſimulq; Curcienses quandoquidem illorū authoritas longè maior eſt, quám ipſorū: Quod uero dicant in Galeno ſignū fuiſſe, eius audatia ſummo philoſopho contradicendi, Dico hoc ſignum potius oppoſitum, quàm propoſitū concludere, diceremq; ſi tam eruditus fuiſſet Philoſophus, nec ueritati, nec Philoſopho contradixiſſet; quod ſi in Ariſtotelem audatia uſus fuerit, non temerariū eū iam dicam ac ueluti amentem arma iniuſte capientem, ſed illum duntaxat nimis in eum audacem, quæ audatia ipſum & iſtos ita perſuaſit, quia á philoſophia longe abſunt. Ad noſtrum modo redeuntes: Fœlicioribus illis decurrentibus annis, Magiſtri illi noſtri medicam facultatem philoſophiæ cōnexam colebant, quapropter ueri atq; (ut dicit Ariſtoteles) elegantes erant medici. Verum tametſi ipſi plurimum cōmendandi forent, non ita tamen undequaq; abſoluti aderant, quin in aliquo repræhendi poſſint, quod ſublunaribus ſingulis euenit, ut non ex omni parte ſit beatum, Ita ipſi ut illa ferebat ætas, nullam ſermonis calebant facundiā atq; elegantiam, & ut uno dicam uerbo, non græcè non latinè, ſed ut in ſiluis enutriti loquebantur, Ita ut bona quidem ac ſancta rudé nimis, inepte, & indiſcrete alijs ſua cōmunicabant; Contra his infœlicioribus ſuccedentibus annis, Qui præſentes modo ſunt doctores, artem quam profitentur quæ medendi rationem habet, loco philoſophiæ Galenum æmulantes, ad orandi artem ſtudium eorūq; ingenia prorſus conuertere, ut modo mala pernicioſa melifluo ſermone cuncta referrant. Quo ornato modulatu, ueluti ſyrenarum cantu duo prima artis inſignia inſtrumēta tam dulci cantu in maris profundum demerſere, animo reliquum abolendi, ut tandem ad ſilueſtrē primamq; medicam artem regreſſus efficiatur, ſi ſibi creditum permiſſumq; fuerit: Quæ ſi antiquo illo æuo admiſſa approbataq; fuerat,

Bona

Bona quidem ſibi debebatur excuſatio, quũ hæc artium cõmunis ſit proprietas, uidelicet de ſe ipſis met cõtinuo maiorem expectare per-fectionem. Ego autem qui à longè prauam hanc fortunam ſiue tetrã calamitatem præuideram, miſertus hominum ſtrages, à medicorũ cœtu ad ſiluas non ſine lacrimis receßi, aduertens, quòd contra tot monſtra non ſatis unus eram; Mox ad contemplationes, & nimirum altas me colegi, in quibus me ita habebo, ut diuina Maeſtas me inſpi-rabit. Primũ enim De prandio & cena, & De Vini natura, quibus examinata iã organa deinceps ſuccedent, mox De cœli materia, nec non De mẽte et intellectu opuſcula iã pridẽ inchoata in lucẽ Deo dã-te ꝑdibunt. Verũ prius neceſſum fuiſſe arbitratus ſum, tantæ huic ca-lamitati atq; anguſtiæ prouidere. Quam rem adeo piiſſimam ac op-portunam exequtioni mandare ſtudens, omnes in iјs ſcribentes prius luſtrare uolui, in quorum numero multos doctos equidem uiros compe-riј, ſed Te doctiorem, & qui magis ſui eloquio ueritati (ſi uellet) noce-re poſſet, uidi neminem. Quamobrem potius contra te mea ſpicula di-rexi, meosq; conatus tentaui, & non medius fidius pro æmulatione, innanisq; gloriæ cupiditate, ſed ob ueritatis amorem, & pietatis cau-ſam, tot malis humano generi ingruentibus: Quæ mea inquam ſpicu-la, quos ue conatus in hoc opuſculo redegi, quod ea ratione ad te ſponte mea nunc propria manu mitto, ut tu primum à meis dictis te defendere queas. Demum ut tu (ſalua inter nos amicitia) tuos pariter in me conatus exercere poſſis, ſciasq; tuas in me legiti-mas increpationes, & quidem acres, quæ me retificent, mihi longe gratiores futuras, quàm laudes illæ iniuſtæ ac comentitiæ quæ me perderent. Vale, & te ad maiorẽ fœlicitatem ſerues, ex MANTVA in die Sancti Martini Anno LVI.

Ludo. Pa. tibi deuotus.

BARTHOLOMAEVS GAIONVS PHYSI-
cus Veronenſis, Ludouico Panizzæ Mantuano
Phyſico, ac Medico, fœlicitatem.

VCVBRATIONES tuas, quas mihi
cognoſcendas dediſti doctor celebratiſſime, tam
1 libens accepi, ut nil unquam libentius legi tam
cupidè, quàm ſi ex Apollinis cortina emanaſſent:
Nec uidiſſe ſemel ſatis eſt, iuuat uſque morari:
quaſi mihi incedere uidear per amæna quędam uireta, omni-
geneos ſacratioris Apollineę artis floſculos bene olentia, & per
agrum uagari lętum; Quem tu, tanquam bonus agricola ſtirpi-
bus, ſentibusq; totum bene purgaſti, ut noxias omnes frugibus
plantas herbasq; conuulſiſti, atq; extirpaſti: Tu autem ad
id me eligere maluiſti, quia probè noſti, quanti te faciam, &
quàm me oblectare ſoleam in tua iſta tam nitenti, & candida
Minerua: Sed ò opus imitatione dignum, & perpetuis hono-
ribus illuſtrandum, ò uigilias iure optimo à tota literatorum
cohorte colendas, ſuſpiciendas, uenerandas: ò libelle nunquam
de ſinu meo ponende, & diurnis atq; nocturnis ſtudioſorum
omnium verſande manibus atque animis, qui tam fœlici inge-
nio, tam acri iudicio, tanta diſciplinarum ſcientia refertus es,
ut non ſine maximo phyſicorum plauſu, diu exoptatus in lucem
ut uenias, expectaris. Dii boni, quanta cum maieſtate, quàm ma
turo, grauiq; conſilio, quàm ſtrenue probaſti, & efficaciter inſtitu
tum tuum de ſectione uenę in inflammationibus, in unoquoq; tri
um humani corporis uentrium contingentibus, ſed potiſſimum in
pleuritide, & eiuſmodi, aduerſus quam portę inferi non præuale
bunt: Nempè lima tua, ſic ſordes omnes depoſuit, ut iam conclu
ſio ipſa, quo ſe tueatur nullo amplius indigeat auxilio, ſed pro-
pria uirtute nixa præſtet, Et inter alias oppoſitæ ſectæ, ſicut inter
ignes luna minores excellat: quęſtio vero tanta à nullo amplius
laceſſenda ſit. Quæ ſanè controuerſia, tempeſtate hac noſtra a-
deo inualuarat, ut dum ſectę ipſæ opinionibus inter ſe contra-
riis abſolutéq; extremis gauderent, illa quæ aliter quàm conclu-
ſio tua ſonat, pertinaci ſtudio uenas ſecabat, mille animas qua-
cunque die dimiſerit orco: O fatum importunum, cui non ſatis
fuerat, quòd abſceſſus tales ex ſui malo modo, & natura homini-
bus miſeratione minitaretur interitum, uerũ etiam tam obliquo

calle ſtragem adhuc maiorem inter ipſos mortales fieri á nonnul-
lis obſeruatum ſit. Vnde ſi forte quiſpiam euaſiſſe inuentus eſt,
ille vere declamare poteſt, Euaſi fati ope, non medici: At tan-
dem diuina prouidentia (en pietas) diram generis humani mi-
ſerata iacturam, te ueriſſimam Deorum prolem in paleſtram mi-
ſit, vt poſt luctum cum tot monſtris, quę te confodere oportu-
it deploratę calamitati humanę auxilio eſſes. Cuius pia cura, &
anmi ſolertia, adeo tuum uiuax ingenium, & beatam memoriam
fatigauit, ut res abditas, quæ hactenus delituerunt, in lucem
prodire feceris, diu in tantæ quęſtionis ſtudiis ſumma cum lau-
de uerſatus, Vnde clariſſimam nominis celebritatem conſecu-
tus es; Ad quę peragenda, te nulla ſollicitauit ambitio, nulla
honoris cupido, nullum glorię inanis ſtudium, quę eſt quaſi
mortis imago, ſed ſola ſalutis humanę, & publici boni cauſa,
Quę eſt ſibi met pulcherima merces, nil æque curando, quàm
ut ueritatem inuenires. Quia ut dicebat Di. Plato, Nihil iu-
cundius eſt, quàm ueritas ipſa; pro qua habenda, & indaganda,
ſeruare uoluiſti ſanctum illud eiusdem Platonis dogma, in diui-
na illa ſua inſtitutione de legibus, Ne cui liceat, quid in publi-
cum uſum ædere, antequam conſtituti ſuper id iudices uide-
rint, nec damnauerint: Miſiſti nanque nuncios ſumptibus non mo
dicis ad florentiſſima Italię gymnaſia, vbi clariſſima uigent phi-
loſophantium, & medicorum lumina: & teſtati ſunt, ſe pedibus
& manibus in tuam veniſſe ſententiam, atque quàm plurimi qui
prius acriter in ſacroſanctam concluſionem tuam prelibantur,
modo loculentiſſimis, & vrgentiſſimis tuis coacti rationibus,
quæ ſibi innotuerunt, vno conſenſu placide, & ſumiſſa oratione
tibi aſſurrexere, atque herbam unanimiter dedere. Quod argu-
mento eſſe abunde poteſt, te ſinceram ueritatem aſſequutū fuiſ-
ſe; His enim laudatiſſimis ſapientiſſimisq; doctoribus placuiſ-
ſe, ſumma utiq; laus eſt. Non tamen id humaniſſime doctor
omiſerim, de quo adhuc mirari in te non deſino, ſed omnino
fuit ingenui animi tua liberalitas, quòd tum pręcioſos labo-
res, non adhuc in publicum uſum miſſos adeo libere per qua-
drienium nunc huc, nunc illuc, in tot extraneas manus euola-
re permiſeris, non ſine graui periculo, ne ſub mentito alteri-
us autoris titulo in lucē conſpectumq; promerentur; Quod (fa-
teor) ego admodū veritus ſum. Viuitur enim plerunq; ex rapto,
nec deſunt hoc tempore complures garruli, inuidi, glorioſi, qui
animo

animo anguſto,ſordidoq; ſunt, & qui auſu temerario, fractis iam pudoris,ac reuerentiæ clauſtris,in hoc ſanctiſſimum opus tuum, harpiarum more,in alienas epulas impudenter irrumpentium id uſurparent,& ꝓ ſuo ædere nephas nō putarent: Quales idē Plato philoſophorū pater, & Deus, totiusq; ſapientiæ quodam terreſtre oraculum,in eo quem de Repub.ſcripſit libro,à diuiniſſimę philoſophię ſacrario,& limine,ceu prophanos quoſdam non iniuria ablegauit: Magnum itaq; periculum fuit, ne ob id alii per te glorientur,tuisq; illis rationibus ferreis, atq; adamantinis pro ſuis abutentes, nec non virtute tua, quæ quaſi ut illa conciuis tui Virgilii perennis fama caput inter nubila condit. Qua in re illud declamare tibi quoq; liceret, Sic uos non uobis mellificatis apes. Quę nimirū iuſtiſſima animalia ſine fraude,ſineq; dolo exiſtunt, & benignitatis & æquitatis exemplum, & quas quę ſunt proprio parta labore iuuant, indeq; iuſtiſſime aluntur,ſine ullius iactura, Immo etiam florem ipſum,ſuper quo degunt,ſemper illæsum ſeruare uidemus. Ac non ut fuci peruerſe impieq; agentes, quos uigiliis, & ſudoribus alienis,quaſi coruos pauonibus alas ſuffurantes, decorari non pudet, & demū patefactis caudæ pennis, ultimus accedit in ſua damna pudor:Infelix hominum genus.Quum tu vero tot rerum diſcrimina, pro ſolius ueritatis amore neglexeris, profectò (abſit aſſentatio) maior hinc tibi uenit gloria,quàm quę olim data eſt à Gręcia Hippo.ob pręuisā peſtilentiam,quàm quæ Aſclepiadi à Mithridate Rege,quàm quę Herculi ab infeſta Iunone,poſt tot domita monſtra:Vnde quemadmodū Herculeū facit Iunonis gloria nomen, non abſimili modo, dum æmuli Panizzę meo infeſti ſunt, per eos ad ſupremū cumulum glorię, & fœlicitatis Panizza meus euehitur: Fœlicia tempora,& quę te tam lęta tulerunt ſæcula,de quo decantari poteſt Plinianum illud de yſœo, magna fama præceſerat, maior eſt euentus.Dic rogo, unde enim maiorem nanciſci poteras mortalibus utilitatem? & unde commodum maius? At ne modicula face ſolem illuſtrare uelle uidear, Sylii tuba receptui canam.

Tecum honor, & laudes, & lęto gloria uultu,
Et decus, & niueis,uictoria concolor alis,
Te cinctus lauro, perducet ad aſtra triumphus:

Vale Amicorum Optime.

REVERENDISS. ET ILLVSTRISS. D. Herculi Gonzagæ Mantuæ Cardinali, Domino ac Principi ſuo Colendiſſimo, Ludouicus Panizza Bene agere.

CONSVEVERVNT præclariſſimi illi ueteres homines Reuerendiſſime Hercules, qui de philoſophia benemeriti, ſiue alia quauis diſciplina eruditi extiterunt, ſi quis eorum aliquando longis lucubrationibus commentarium, aut egregium aliquod opus confeciſſet, atq; ad eius finem, ueluti ad ſuorum laborum portum peruenisset, poſt habitam diligentem omnium rationem, illud deniq; in lucem ædere; Quo non tantum ocii (ut aiunt) & negocii rationem redderet, Verum etiam quum homo homini naturali quodam uinculo plurimũ debeat, eo ita elaborato opuſculo cęteris prodeſſet, ſiue id ad animi ſplendorem, ſiue ad corporis ſalutem pertinere uideretur. Quandoquidem hominem illum qui ſe turpiſſimo ocio ac fœdiſſimis uoluptatibus totũ tradidit, neglectis fœlicibus ac penè diuinis humani intellectus muneribus, illũ inquã nõ inter homines, ſed inter beluas potius uitã egiſſe, apud eos qui iudicio pręſtant cenſendũ eſt. Idem propèmodum dicendum, ſi quis ad contemplandas res animũ applicuerit: Quod vero ab eo digeſtũ preſſũq; extiterit minus ędat, nihilq; omnino quod alios iuuare poſſit, unquã depromat, illũ inuidiæ atq; exitioſæ ꝓprietatis non expertẽ facile diiudicare poſſumus: Eapropter mea hercules ſententia hi lõge ſapientius ſenſere, qui brutorũ effugientes vitam, ſimulq; ab in humanę ꝓprietatis ignominia deflectentes, poſt tot ab eis euigilatas noctes, fructum ſuauem aliquem hominibus non tã gratũ, quã utilẽ reddere ſtuduerunt: Ad quod vtiquè laudabile inſtitutum tandem perducti, Mox illud hominũ alicui dedicare conſueuerunt: Qua quidem in re idem conſiliũ eademq; uoluntas omnibus non fuit: nonnulli etenim ex omnibus amicos delegere, vt parẽ & mutuam inter ſe beneuolentiam patefacerent; quidam uero iis qui de ſe fuerũt benemeriti, quò grati animi ſignũ aliquod demõſtrarent: Rurſus & alii, at nobiliori ſane deſiderio moti, ſolis ſtudioſis optimiſq; moribus prędit is obtulere, quò eorũ rationes quandoq; ab eis ualide rectoq; animo defendi poſſent: Ab iis alii nõ niſi regibus ac ſũme potentibus dedicandũ cenſuerunt, tanquam qui eorũ patro-

cinium

ciniũ contra pertinaces minusq́; rectè ſentientes expoſtularent. Quę omnia quũ ex prudentiſſimo planè conſilio optimoq; iure proficiſcantur ęquiſſime Princeps, id quod mihi in huiuſcemodi ſpeculationibus meisquè familiaribus ſtudiis euenerit, tibi nunc aperire sũ auſus: Igitur nõ te lateat Princeps ornatiſſ. eius me sẽper conſtantis fuiſſe animi, ut ſiue quodam quaſi naturę ſemine, ſiue tempore aliquo acquiſito habitu id acciderit, nobiliſſima excelſa ve literarũ ſtudia, omnes orbis terrarũ fortunas ſiue aurum, ſiue præcioſiſſimę gemmę, ſiue Regna, ſiue Imperia fuerint excellere haud dubio putarim, Quũ homines tum beatos, tum Diis immortalibus ſimiles reddant: Eapropter ſi tibi colẽdiſſimo patrono uerũ fateri liceat, id affirmare auſim, quod niſi ſors in multis mihi ſæpenumero fuiſſet aduerſata, nulli alteri ꝓfecto rei animũ applicuiſſem: quãquã & quò plus potui aduerſus fortunæ impetus enixè reluctatus, ad ea ueluti ad placitũ tutumq; portũ me ſemper recepi: ex quibus certe quam plura mihi ex ſententia ſucceſſere, cum in pluribus diſſoluendis nodis à doctiſſimis uiris propoſitis, tũ innumeris penè conſiliis pro diuerſorum hominũ ſalute excusſis. Verum inter cætera his proximis annis, humano generi ne dum noxios, ſed exitioſos lętalesq; animaduerti errores, quibus ut uniuerſos homines à tam graui emergente calamitate, eorũ uitę imminenti defenderem, omnibus uiribus & (ut aiunt) intentis neruis ſum aduerſatus: Fuit autem mali tanti cauſa & author Galenus alioqui ſapientiſſimus, qui quanto clarioris nominis, quòq; plus glorię in hominũ cœtu aſſecutus eſt, hedepol tanto difficilioris euulſionis ab eo effuſum hoc uenenũ relictũ eſt, quorũ ſanè qui pręſentis ſpeculationis exiſtit error ille eſt, qui in quouis homine ubi in eã affectionẽ iciderit, quę ob humorũ fluentiũ turgẽtiã cuipiã nobiliori corporis particulæ (quęcũq; ea ſit) inflãmationẽ minatur, sãguinẽ ſtatim eo loci ubi dolor inſurrexerit per initia morbi exhauriri præcipit: Id quod eſt morbi cauſam augere, ubi pręſtantius longe fuerat eam ad oppoſita diuerſaq; retorquere loca: Enimuero quid crudelius? quid atrocius? quid deniq; humano generi periculoſius unquam excogitari potuit? quàm in uiuente ſanguinis compote & in quo uita ſeruatur, humorem à natura adeo dilectum ferro extrahere, idq; ad propriũ uel alienũ potius libitum nulla certa habita ratione, nullo probè habito conſilio, ſed rudi quadam potius conſuetudine (ne dixerim amentia) omnibus prorſus neglectis me-

dis? Quam rem quum tanti ponderis eſſe olim animaduerterem, ſimulq; medicã claſſem omnino diſcordẽ perplexamq; eſſe conſpicerem, non parum hercle admirari triſtariq; primũ, mox excogitare mecum cœpi, an tuta quępiam uia certa naturalis rationi conſentanea, & philoſophię ac medicę artis principiis cõformis reperiri poſſet, quę in ueritatem nos infallibili rectaq; linea perduceret. Verum (ingenue fateor) animũ me inter initia feré deſpondiſſe, atque ab hoc tam graui (licet piiſſimo) munere non parum fuiſſe deterritum, quum maxime inter Græcos diuinũ Hippo. huius diſciplinæ parentem optimũ (ſi licet dicere) hac in re diminutum uiderem: nec minus Galenum, eiusdem fontem perſpicuũ ſibi met ipſi contradicentem conſpicerem, & inter Latinos Cornelium Celſum authorem grauiſſ. artis methodos pręcipiti neſcio quo pacto floccipendentem. Intuerer deinde ſapientiſſimos Arabes, Auicennã pręſertim, qui quanto iis poſterior, tanto uel clarior iis emicuit, uel ſaltẽ nulla ex parte inferior cẽſendus eſt, (abſit homini inuidia) alio & ipſum agentem modo: Quis igitur in tã uaſto pelago non obrutus fuiſſet? Porrò quid facerem, ſępenumero non ſatis mihi erã conſcius. Sæpius timor ex amentibus cõſultoribus vnus, pedem me ſubducere conſulebat, fluctuanteq; medicam claſſem incertę fortunę potius relinquere, quàm nimię audaciæ, uel temeritatis nota, ab inuidis uiris ſugillari: At ratio ab affectibus explicita, opus hoc publicę utilitati conſacratũ, omnibus deſpectis laboribus, maleuolorũq; ſpretis calumniis, confidenter aggredi ſuadebat: collectis tandẽ animi uiribus malui ab hominibus liuore pfuſis, iniuſte, impiè ve accuſari, quàm munus tam piũ atque adeò ad veritatem publicumq; commodũ ſpectãs negligere, moliri itaq; opus tandem cœpi, Commentariolũq; cõpilaui Illuſtriſſimo Clementiſſimoq; Principi FEDERICO GONZA. fratri dicatũ, quod iamdudum per hominum manus paſſim vagatur: Quo Galeni placitũ multis rationibus expugnare contendi, ac ueritatem adeò (ni fallor) lucide oſtendi, ut eã digito monſtratam eſſe quiuis dicat: At aliquibus ſuccedentibus annis, qui eius ſectæ plus iuſto addicti fuerant, nõ parũ id ęgre tulerunt, & in compitis, medicorũ ve triuiis de me continuè obloquebantur, Barbarè nimis locutũ eſſe aiebant, ignotumq; ac puſillũ contra diuinos autores minusq; religioſè habuiſſe me prędicebant, nullam alioqui veritatis rationem habentes, quam tamẽ nõ modo pluris quàm homines facere, ſed & prę cęteris omnibus

par eſt

par eſt venerari. Quippe, quũ in ueritatis ſplendore & numen, & diuinum quidpiam ſemper eluceat: At præſtantiſſimorum uirorũ decus humanis duntaxat bonis adnumeretur: Quamobrem Plato, Ariſtotelesq; concordes dixere, multum de Socrate, magis tamen de ueritate eſſe curandũ: Sed tamen eorum nullus ex iis pręſertim qui poſt nos ſcripſere, & qui plurima (quam ſibi vendicãt) gloria turgẽt, meas unquã ſoluere rationes aggreſſus eſt. Id quod profectò atq; legitimo cuiuſque rei examini non parũ detrahit: Nempe cõtrarias atq; oculis expoſitas negligere, ac inſolutas rationes dimittere deſidia eſt: quã rẽ primũ magiſtrũ feciſſe nuſquã animaduertimus, ipſe enim hominũ autoritatẽ paruipendens rationibus potiſſimũ ſemper adhæſit: id quod & Galenus, quem adorant, de ſe ipſo profiteri quandoq; uiſus eſt, quũ inquit. Ego ſane non ut teſti Hippocrati fidem adhibeo, ſicut alii pleriq;, ſed ꝙ ſolidas eius demonſtrationes videam, iccirco laudis honorẽ ei de fero; quod ſi ii fortaſſe noſtro dedignabãtur nomine (elati nimiũ quũ ſint) propter eius obſcuritatem, eo prætermiſſo, illas ad minus ꝑ ueritatis candore euellere omnino tenebantur, id quod ea potiſſimũ moti de cauſa non fecerunt, quia quum parum conſiderati ſint, arbitrati ſunt Hippocratis & Galeni placitum cum ueritate idem omnino eſſe: Verum quidam ex ſecta ſuperioribus iis diebus, ut ex doctioribus ſunt, mihi tandem litem indixere, pro Gal. quẽ ſumme colunt defenſione, meosq; diſſoluere nodos ſponte ſeſe obtulerunt: Itaq; nonnullas reſponſiones quibus rẽ abſolutam eſſe credidere, miſerunt ad me, quàs quũ diligenti prius omnium habita ratione, nihil decretum noſtrum infirmare animaduertiſſem, Statui ne humana Reſpub. ex tam graui diſcordia peſſundaretur, eiuſq; ſalus ob perpetuũ huiuſmodi litigiũ dilaberetur, illas funditus tollere, huius ſaluti conſulere, ac pugnę finem tandem imponere. Quamobrem niridi ac politiori aliquãtiſper lingua magis quàm potui, ut iſtorum molles aures minus offenderem, Cõmentariũ hoc nuper conſcripſi, atq; ad eius cenſuram ſex grauiſſimos doctrina ac morũ celebritate delegi iudices. Tres ſacram religioſiſſime colentes philoſophiam, ueluti Architectonicos, Reliquos medicã profitentes facultatem. Qui expurgatis auribus, æquiſq; animis opinionem ueritati proximiorem, nihil à recto curſu deflectentes decernerent, oppoſitam uero ueluti fictitiã pernicioſamq; deuouerẽt, & à medicorũ areis prorſus reiicerent, At quũ noſtra hac (ita dixerim) miſera tempeſtate homines cum

doctos,

doctos, tum affectibus expurgatos reperire haud facile eſſet, præſertim tales qui nō in Galeni prius iurauerint uerba, ita ſublimioribus cœleſtibus corporibus ei nunc & illius hęreſi plurimū fauētibus, omni induſtria, ac diligentia, ut nulli addictos ſectę, ſed ueritatis duntaxat ſtudioſos inuenirem, Vniuerſas fermė Italiæ Academias peragrandas curaui, opera doctorū Eleonori Elobii & Laurentii Stanghelini, qui ingenio fœliciſſimi, doctrina uero admodum clari extiterunt. Sex itaque tandem ſapientiſſimos delegi uiros, laudibus perpetuis decorādos, quos pluribus meis adhibitis præcibus ita ſū phortatus, ut quibuſcunq; poſt habitis affectibus, amore, & odio ſemotis vtrinque rationes pēderent, trutinaq; examinarent diligenti, mox puriſſima, candidaq; mente noſtri huius litigii V E R I T A T E M decernerent. Compluribus autem menſibus, ac fermė tribus conſumptis annis, pro huiuſcę tantæ rei digeſtione conceſſis, negocium ad hoc tandem deductum eſt noſtrum: Pręclari nanq; ii à nobis electi iudices diuini Platonis ad vnguem præceptis ſeruatis, ut in uniuerſis diſputationibus ſeruari neceſſarium eſt: videlicet, ut nullis unquā credamus rationibus, niſi diligentiſſimo prius adhibito examine. Quo probė acto deinceps ob ſuperuenientes futiles aliquas obiectiones, ab eis nunquam diſcedamus. Item, ut tum noſtram tum alienam in diiudicando perſonam penitus ſeparemus, his inquām ſeruatis in noſtras tanquam ueriores iuſtioresq; partes eorum iudicium inclinarunt, ut ex illorum ſingulis dubitationibus aſſertionibusq; in libri calce ſigillatim poſitis uideri poterit. Re igitur ex ſententia confecta, uotoq; demum potiti, reliquum eſſe arbitramur, eam ſuperius enarratis de cauſis in lucem ædere. Verum quia infiniti penė animo perturbati circunſtant homines qui opinionem hanc noſtram uel inſimulāt, uel calumniis dehoneſtant, uel morſibus dilaniant, eapropter neceſſarium mihi fore exiſtimaui, Præclarum diuinumq; comperire hominem, cuius numine horum rabies ueluti radiis ſolaribus nix expoſita, aut aquę bulla repente ſubſideat, atq; euaneſcat. Verum quò magis ac magis mecum ipſe reputo, quem nam ad hoc munus deligere poſſim, præter te certe neminem conſpicio, Qui auidiſſimo huic meo deſiderio ſatis eſſe valeat. Nam in te uno Principe optimo ſingulas uniuerſasq; inuicē conciliatas eſſe quas prius commemoraui conditiones cumulatiſſime cognoſco. Eapropter munus hoc noſtrum (qualecunq; ſit) tibi prę omnibus conſacrandū duxi.

duxi. Te mihi nanq; patronum optimum humaniſſimumq; defenſorem ſemper præbuiſti. Tu mihi ea demum coniunctus es amicitia, quæ inter maiorem & minorem excogitari unquam poſſit. Te mihi liberalem munificentiſſimumq; perpetuo obtuliſti. At quod his omnibus longe preciosius eſt, Ego te adeò ſanctis Regiisq; moribus exornatũ cognoui, ut te iuſtiorẽ, placabiliorẽ, cõtra facinoroſos pugnatiorẽ uiderim neminẽ: Fœlix profectò dici poteſt nunc Mantua, non minus nobilitate quàm antiquitate uenerãda, Quòd à tã iuſto, modeſto, placido, pio, religione fulgente Principe gubernetur, cuius fœlicitatẽ tua plurimũ augent Præſul Reuerendiſſime, ſacræ philoſophiæ ſublimia ſtudia, in quibus indefeſſè, cõtinuèq; verſaris: Eo nanq; patria hęc noſtra fruitur nũc bono, quòd regnis omnibus Di. Plato imprecari cõſueuit, quãdoquidem inquit beatas fore Reſp. quorũ domini aut ſunt philoſophi, aut cum philoſophis uerſantur: Cui nempe dicto proportione reſpondet illud quod maximus philoſophorum dixit Ariſtoteles, quando inquit, Philoſophorum ſedes propè Reges collocandas eſſe: Quamuis noſtro hoc ſæculo parum fœlici, niſi tua ò Princeps æquiſſime obſtaret prudentia, in deſpecta loca ab improbis compellerentur: Quos VI. de Rep. Di. Plato ſub is deplorat uerbis, Imperitorum multitudo iniquo fert animo philoſophiam, inepti ad eam quum ſint: Et quaſi de inimicis delectentur obloquuntur, rem agentes non philoſophię nec philoſophis congruam. & quę ibi. Tu uero Princeps excellentiſſime, improbis adeò obſiſtis, ut qui & ſummæ philoſophiæ cuſtos es, et reliquis omnibus ferè uirtutibus inſignitus, non modo philoſophos ab iis tueare, uerum & ipſos ac in uniuerſum ſtudioſos mirifice foueas; quo fit, ut ipſe quoq; in maximam ſpem ſim erectus, Credamq; fore, ut haſce meas lucubratiunculas tuo nomini dicatas eo animo amplectare, ac in patrocinium tuum ita ſuſcipias, ut te patrono, & impune inter obtrectatores, & gratiſſime eis inter ueritatis ſtudioſos uerſari liceat: Quis enim tam petulans unquam reperietur? qui ſi eas uel à te comprobatas, uel tuæ tutelę commendatas uiderit, eas uel non probet, aut ſtatim calumniari non deſinat? Nam præter id quod ea eſt uirtutum tuarum exiſtimatio, quæ & maleuolos deterrere, & doctos in tuam ſententiam adducere facile poſſit, Tantus deinde Princeps es, ac potentiſſimis Regibus adeo gratus, ut te illis rem ſuadente, eorumq; uſus authoritate compelli quiſq; nullo negocio poſſit, ad id

ſit, ad id re efficiendum, Quod noſtro aſſiduo ſtudio longiſq; noctibus ueritati conſentire, ac maximum humanę uitę Reipub. momentum afferre fuerit inuentum: Quod te certe facturum non diffido, ne fruſtra tam diu nos laboraſſe cognoſcamus, & ne tot congeſtos, noctesq; diesq; labores auferat una dies, & eos ſors improba frangat: Pręſertim quum cauſa hæc noſtra iuſtas poſſideat partes. Age igitur Princeps humaniſſime, noſtrum hoc munuſculum ea (ut ſoles) hilari fronte benignoq; animo accipias. Quod ſi forte alicui exile indignumq; uideatur, quod tanto offeratur patrono, is non datam rem, ſed dantis animum perpendat: Cui ſi uires ſuppeterent, multo maiora ac pro dignitate eſſet exhibiturus, quanquam mehercules nec parui facienda eſt munuſculi intentio, nec ab eo proueniens utilitas aſpernanda, quũ ad uniuerſi ferè orbis ſalutem pertineat; qua in re ſi minus fortaſſe effectus ab eo prodiens laudari, affectus certè noſter improbari non merebitur: Verũ ne lõgioribus uerbis occupatiſſimas aures tuas inutiliter detineã, finé hic facio, ut mox ad aduerſarios me cõuertã. Interea Vale Princeps Colendiſſime, & me tui ſtudioſũ cõmẽdatum habe.

Diſputatio

DISPVTATIO DE VENAE SECTIONE IN inflammationibus, ſecundum eorum tempora Ludouici Panizzæ Mantuani.

Prologus Summę Primæ.

V

T IN præſentiarũ noſtro huic negocio, quod ob recentiores emergentes errores ad uniuerſam, ac publicam hominum ſalutem ſummopere ſpectat: DE VENAE ſectione diſceptationi facile atque omnino planum iter paremus, maximi philoſophorũ Ariſtotelis Rethorices tertio, præceptum in primis ſeruare opere præciũ nobis uidetur; illud ſcilicet, quòd ante uniuſcuiusque rei inquiſitioné, quæ ſubtili quodam ſtudio pertractanda ſit, nonnulla ad procœmii modũ præmittere eſt neceſſarium, quę agendorum notitiam ſummatim comprehendant. Hanc nimirũ ob cauſam, ut legentes non inuolutum, nec implicitũ opus, minusque eorum animos defatigaturum ſe lecturos intelligant, ſciantq; quod nam ex huiusmodi lectione utile ſibi futurum ſit; quandoquidem iis quę perpulchrè in partes diſtinctio ordine nitent, quę ve locuplètiſſimum bonum promittunt, & animum, & aures, auidiuſculè, benigneq; pręſtare omnes ſolemus: Non ignorent itaq; uiri probè periti Cõmentariolũ hoc quod de venę ſectione in inflammationibus, quę ex humorum fluxione in quauis corporis parte generantur agit, Quinque in ſe continere principes partes, quas nobis ſummas uocare placuit, in quibus per diſceptationis modum innuitur, Quot nam phlobotomiarũ genera huiuſcemodi morbis reſpondeãt, ac quo ordine, quibus ve locis, & morbi temporibus congruè, conſultoq; à nobis adminiſtrari debeant, harum uero ſingulas in multa, ut paulo poſterius apparebit, diſtingui capita. Et quoniam ad uniuſcuiusq; rei dubitabilis perfectam inquiſitionem, ſiue ea ad ſpeculatiuũ, ſiue ad practicum pertineat habitũ, nobis non omnino ſat eſt potioribus quibusdã rationibus uti, licet & hęc ad demonſtrationis uiriũ culmẽ prope accedant, ut ueram illius naturã attingamus, quinimmo eã certis propriisq; methodis uenari neceſſarium eſt: Eapropter ne rudi fortaſſe inepto ve quodam calle ipſe proceſſiſſe uidear, Antequam huius pręſentis luctæ munus obeã, nonnulla quę ad rei peritiam, magis quàm ad ipſius ſubſtantiæ perfectam intelligen-

tiam ſpectare uidentur, prefari mecum ſum arbitratus. Igitur ſci-
entiarum quilibet compos diſputaturũ me primo non ignoret de
iis omnibus quę in proxime ſequentibus continebuntur ſummis.
Ea autem uia, eoq; probationis genere inceſſurum, quod ſubiectę
certęq; materiæ cõpetere magis ꝓprie cognouero. Quamobrẽ
non vnum quod piam ſelectum inſtrumentũ, neque unam dunta
xat excerptam arguendi rationem inſectabor: Nempe á rerum
diffinitionibus aliquando procedam, non raro quidem per cauſas
ubi id permiſſũ fortaſſe fuerit, frequentiſſimè uero per effectus
propriasq; affectiones propoſitum arguere tentabo, potiſſimũ ue
ro experimentis á ſenſu perceptis id agam; quæ autem à nobis aſ-
ſumentur propoſitiones, proprios ac legitimos terminos nihil ex-
cedent: Enimuero ad primã philoſophiam quam ſapientiam ap-
pellant numquam, ad mathematicam quoq; minus diuertã, quo
niam medica hęc facultas res in materia nimiũ ſummerſas cõſide
rat, ac continue ad manus habet; á phiſiologicis propoſitionibus,
ut pote huic ſcientiæ ſalubribus oculos nunquam auertã, quan-
do hæc & halitum ei, & vitam prębent, & præclaris orna-
mentis perpetuò ipſam illuſtrant atq; decorant:
Quicquid ſit illud turpe ac penitus vanum
conſilium a quibusdam de Galeni ſecta
delatũ, videlicet vt á naturali phi
loſophia omnino abſtinẽ
dũ ſit. His uero pre
miſſis ad ſum
mas iã me
uerto.

Summa

SVMMA PRIMA IN QVA GALENI ſectæ placitum illius cauſa ponitur,& ſimul eiusdem impugnatio, cuius quinquè ſunt capitula.

Capitulum primum,in quo Galeni placitum,eiusq; cauſa in acutis curandis morbis prę́ſertim pleuritide ponitur.
Cap.II.in quo huius placiti cauſa deſtruitur Hippo.authoritate.
Cap.III.in quo ſecunda aduerſus idem ponitur ratio.
Cap.IIII. in quo alia contra idem ponitur ratio,malum reprobãs arguendi modum.
Cap.V..in quo ad idem ponitur ratio ad impoſſibile ducens.

SVMMA SECVNDA IN QVA rationes contra Galenum, pro uera opinione ponuntur,cuius capitula ſunt.XIII.

Capitulum primum, quod in procemii modum cauſam aſſignat, cur adductæ olim rationes repetantur.
Cap.II.primam principalem ponens rationem,quod collateralis vena in principio, ut euacuatiua conuenire non poſſit.
Cap.III:in quo dubitatio ſoluitur, nempe quo tempore affecti lateris vena ſecanda ſit,ſi inter initia iure incidi non poteſt?
Cap.IIII.in quo illius primæ & principalis rationis ponitur confirmatio.
Cap. V.in quo ad idem alia ponitur ratio.
Cap.VI.in quo ad idem alia ponitur ratio.
Cap.VII.in quo ex Galeni uerbis contra ſectã ponitur obiectio.
Cap.VIII in quo quę cõtra ſectã facta fuerat obiecto retorquet.
Cap.IX. in quo ex Gal. verbis oſtenditur reuulſioné ipſam totius operis curatiui in apoſtemate fluxione genito fundamẽtũ eſſe. Epilogus ſequitur.
Cap.X.in quo ſecunda principalis ponitur ratio, ꝙ collateralis in principio non minus ſecanda non ſit,quia non reuellit.
Cap.XI.in quo ſectæ tollitur fuga dicens, quod licet prædicta euacuatiua ſit, reuellit tamen quadamtenus.

Cap.XII.in quo illa etiam tollitur fuga, dicens, ventoſam loco appoſitamextremum eſſe euacuatium in phlobotomiarum genere,& non collateralis baſilicæ ſectionem.
Cap. XIII. in quo denique ex duabus principalibus rationibus iunctis,tertia integra ratio perficitur.

SVMMA TERTIA SECTAE Galenicę ponens rationes, & eius fundamenta, cuius capitula ſunt. XIIII.

Capitulum primum,in quo primæ rationi ſecta reſpondet.
Cap.II.in quo ſecundę principalis etiã rationis ponitur reſponſio.
Cap. III. in quo illud ſoluitur motiuum, quod collateralis non reuelat quia conuertat.
Cap.IIII.in quo tres ab aduerſario ponuntur propoſitiones pro galenica ſecta.
Cap.V.in quo ex illis tribus propoſitionibus infertur ab aduerſario & generationis apoſtematis, & ſectionis uerus modus per quem apoſtematis augmentum nequaquam fiat.
Cap.VI.in quo tacitã,& quę ei obici poſſet,rationẽ remouet.
Cap.VII.in quo illius quod dicebatur contrarium accidere ſecta probare contendit.
Cap.VIII.in quo aduerſarius nõnullas Ga.cõtradictiones adducit
Cap.IX. in quo pro ſolutione mirabile quoddam ponitur ſectæ fundamentum.
Cap.X.in quo aduerſarius quidã dicit, cur Galenus in pleuritidis principio reuulſionem non per oppoſita,& diſtantia ponit.
Cap.XI.in quo ponitur Galeni defenſio,quod in libro eius de ſanguinis miſſione in uteri inflãmatione in principio poplitẽ ſecet
CapX II.in quo noſter curandi modus ab aduerſario non omnino ſecundum Galenum reprobatur.
Cap.XIII.in quo aduerſarius noſtris reſpõdet experimentis.
Cap.XIIII. in quo eius rationibus,ſolutionibusq; terminus imponitur.

Quarta

QVARTA SVMMA VERAE POSItionis fundamenta ponens, eius capitula XVI.

Capitulum primum, in quo naturę & artis in largiendo inſtrumenta ſingula ſingulis media intentionibus correſpondentia extollitur ſufficientia.
Cap. II. in quo non nulla dogmata veluti radices pro inflammationum curatione ponuntur.
Cap. III. in quo iuxta Galeni ſententiam anatome venarum quæ thoracis apoſtemati ſeruiunt, ponitur.
Cap. IIII. in quo ad prædicta epilogatur.
Cap. V. in quo docetur quibus venis, quibus ve temporibus ſanguinis miſſio congrue aptetur.
Cap. VI. in quo opinio quæ dicit inter initia ab eodem latere ſanguinē mittēdū eſſe, modo aliqua reuulſio pręceſſerit reꝓbatur.
Cap. VII. in quo ex anatome illud Hippocratis examinatur dictū quod ſuperioribus inflammatis coſtis ſanguis mittendus, ſed infernis non, ſed pharmaco ſoluendum ſit.
Cap. VIII. in quo de venarum ſectione, quæ ad primum pertinet ventrem agitur.
Cap. IX. in quo in ſuperiori etiā uentre triplex phlobotomiarū ponitur ordo in apoſtematis curatione, licet Hip. non expreſſerit.
Cap. X. in quo moderniorum ſoluitur dubitatio, cur vena inter pollicem, & indicem ſciſſa primo conferat uentri.
Cap. XI. de triplici etiam phlobotomiarum ordine in ventre inferiori ſeruando.
Cap. XII. in quo pro rei naturę excuſſione, ex quinq; propoſitionibus prima ponitur
Cap. XIII. in quo ſecunda ex illis ponitur propoſitio
Cap. XIIII. in quo tertia ponitur propoſitio
Cap. XV. in quo quarta ponitur propoſitio. Ex qua patet eidem morbo diuerſa ineſſe tempora
Cap. XVI. in quo alia ponitur propoſitio, ex qua habetur iuxta diuerſa morbi tempora diuerſas oriri intentiones, & auxilia.

SVMMA QVINTA RATIONES aduerſas diluẽs, cuius capitula, XV. numero ſũt.

Cap. I. in quo prima aduerſarii tollitur reſponſio.
Cap. II. in quo & alia tollitur reſponſio, quæ dicit noſtram rationem in forma & in materia peccare.
Cap. III. in quo ea tollitur reſponſio, quæ collateralem phlobotomiam in principio inflãmationem augere negat, propter prioris materię ægreſſum.
Cap. IIII. in quo aduerſarii remouetur error, hunc triplicem phlobotomiarum ordinem auferentis
Cap. V. in quo ea declaratur neceſſitas, Quæ in hoc triplici phlobotomiarum ordine reperiri poteſt.
Cap. VI. de fibrarum rectitudinis opportunitate.
Cap. VII. in quo dubitationes quorundam ponuntur.
Cap. VIII. in quo illarum dubitationum ponuntur ſolutiones.
Cap. IX. in quo ea remouetur reſponſio, quæ dicit ꝙ facta per uenarum phlobotomiam inanitione, membra à venis non attrahunt, ſed contra potius.
Cap. X. in quo ab aduerſario cuiuſdam morbi curationis à Galeno poſitę examen excuſatur, quod idem nobis obtulerat.
Cap. XI. in quo ea remouetur reſponſio, qua contendit ſecta per collateralem baſilicam in principio etiam reuelli poſſe.
Cap. XII. in quo examinis quorundam contradictionum in Gal. dictis ponitur excuſatio.
Cap. XIII. in quo inepta Gal. per aduerſarium facta à ſui met cõtradictionie remouetur defenſio.
Cap. XIIII. in quo confecta pugna utriusq; cõtrarię poſitionis inuicem fit comparatio.
Cap. XV. in quo epilogus totius operis adducitur.

SEQVVNTVR DEINDE SEX excellentiſſimorũ ac prẹſtãtiſſimorũ, in huius cauſa electorum iudicum decreta.

Primo, Excellentiſſimi domini Antonii Muſæ Braſaolæ Ferrarienſis publice medicinam profitentis.
Secundo, Excellẽtiſſimi domini Hieronymi Gablonetæ illuſtriſſimi

ſimi & excellentiſſimi Ducis Mantuę medici.

Tertio, Excellentiſſimi domini Brandę Porri Philoſophiam in gymnaſio Papienſi publice profitentis.

Quarto, Excellentiſſimi domini Hieronymi Vrbini Paduæ medicinam publice profeſſi.

Quinto, Excellentiſſimi domini Ludouici Buchafer: Bononiæ philoſophiam publicè profitentis.

Sexto, Excellentiſſimi domini Vincentii Madii Philoſophiam Ferrariæ publice profitentis.

SVMMA PRIMA.

Capitulum primum, In quo per ſectam in acutis morbis curãdis, pręſertim pleuritide, quę curatio eſſe debeat cum ſanguinis miſſione, & Galeni placitum, & eius cauſa ponitur.

INQVIT ſecta iuxta medicorũ archiatri ſententiam, eiusdem patientis lateris uenam in morbi coſtalis principio incidi debere, etiam ſi corpus ad modum ſanguine refertum extiterit, ac quo citius id fit, eo ſanè ſalubrius eſſe, quũ propter illius acuitatem in quauis (minima licet mora) nõ leue periculũ immineat: atq; hoc Gal. ob id potiſſimum voluiſſe aſſerit, quod ipſe ex diligenti corporũ anatome, cuius exacta pręſtabat notitia, ita faciendũ eſſe obſeruauerit, quippe quod hæc dubio procul nos doceat, quàm apte, quàm rectè medicus duos acceſſorios actus reuulſionis primũ, euacuationis deinceps per ſolam eiusdem patientis lateris venæ ſectionem exercere poſſit, quod ſanè libelli primi noſtri quartæ concluſioni tota (ut aiunt) refragatur diametro.

Capitulum ſecundum, In quo huius placiti cauſa Hippocratis authoritate deſtruitur.

Es hæc per Iouem pluribus (ni fallor) viis non modicum Hippo. detrahit authoritati, atq; in eo in primis, quod de huiuſce morbi acuitate refert, quũ Anaxionis curationem ad XXXIII. uſq; diem perduxerit; Quis igitur furor ab huiusmodi affectus acuitate in ſectam irrepit, ut præpo-

ſtere tumultuarieq; omnibus poſthabitis regulis curatio ab ea ſit facienda, eo præſertim in morbo, qui non in manibus imperiti hominis eius inſcitia ęgritudines protrahentis, ſed diuini Hippo. tam longas cōceſſerit inducias? Hoc me hercle vel maximū tanti authoris arguit errorem, vel hanc adeo importunam redarguit acuitatem: non minus pręterea eiusdem maeſtati derogatur, quū venæ illius ſectionem, quæ e directo patientis fit lateris, ad octauā vſq; diem veluti nos quoque craſtinamus, diſtuliſſe fateatur, mox eiusdem met rei tam acriter quidam me repręhendat, ac ſi idem omnino crimen in Hippoc. neceſſario obiiciendum eſſe non ſentiat; at qui ſi me ita agentem erroris nota afficiendum eſſe cenſent, eadem profecto & Hippo. ſugillant, eodemq; illum condemnant crimine, nimirum quum in vna ambo eadēq; ſimus naui: Ad hęc & venarum diſſectionis ignorantia quā mihi tam iniuſte imponunt, ipſum coarguit, quum præſertim inſtituendarū venarum ſectionem ea (ipſa authoritate) ſit fundamentum: Amplius morbi acuitas cauſa minime ſufficiens eſt, vt ita ordo peruertatur; Etenim ſi Hippocrates in acutiori magis morbo quàm pleuritis, non una contentus venæ ſectione primum, reuulſione mox a patienti loco euacuat, vt in angina, Quod ſi ſic ſit, cur in pleuriti de idē facere nō debemus? Anginā autē acutiorē eſſe morbū pleuritide cōſtat, quoniā dolor anhelitusq; difficultas in ea ſunt maiores, quibus etiā ſuperadditur nutriēdi difficultas. Quę omnia ſane ita mortē quādoq; accelerāt, vt in minori xx. horarū ſpatio ęgrotātem interiiſſe conſtet, id quod in pleuritide accidiſſe nulli uſquam compertum eſt: Quamobrem ſi Hippo. in acutiori angina non vnicā dūtaxat venæ ſectionē admittit, neq; Galenus hoc in mitiori pleuritide admittere habet, ſed ſeparatam ac longe remotā primū reuulſionē pquirere habet, ut infra luce clarius mōſtrabimus.

Capitulū tertiū, In quo ſecunda aduerſus idem placitum ponitur ratio.

a Mplius huic adſtipulatur genus & illud pleuritidis, quo plurimi nuperrime correpti non recta adhibita curatione perierunt, quos tamen modicus & fere nullus infeſtabat dolor, à quo nimirū morbi acuitas ſuam trahere originem conſueuit, quem ſanè effectum Arabum Princeps Auicēna, uel noxii humoris

moris paucitati, aut eius cuipiam fraudolentiæ aſcribere uoluit. Quod quum ita ſit, non tanta igitur pleuritidi perpetuo coniunċta eſt morbi acuitas, ut propter eam curationem veram ac legigitimam euariare nobis neceſſarium ſit.

Capitulũ quartũ, In quo tertia ponitur ratio malum improbans arguendi modum.

P Ræterea ſi recte perpenditur, his ita præmiſſis minime hoc ſequens eſt, ꝙ ſi morbus acutus ſit, ob id artis pręcepta non ſint ſeruanda, ſed id duntaxat ſubſequitur, ut regulas & theoremata citius ac in minori temporis ſpacio exercere ſit neceſſarium, nam ob eius acutiem, citamq́; terminationem, non tam prolixas medico cõcedet moras, quã ſegnior alius pręſtaret; eapropter ab Ariſtotele phyſicorũ tertio ſcriptum eſt, in mathematicis nihil referre, magna an parua nobis ſubiiciatur menſura, quum ęque in magno ac in paruo ſuę ſeruari proportiones poſſint: At ſi in paruo quidem tempore propter morbi acuitatem neceſſariam atq; opportunã rem omitteremus, magni ſanè & parui non eadem eſſet ratio: Igitur in acuto morbo ita partiendę ſunt phlobotomię neceſſarię, ſicut & in prolixiori: atq; hoc pacto magni & parui eadem erit ratio.

Capitulum quintum, In quo aduerſus idem ponitur ratio ad impoſſibile.

A D hæc ut alias etiam ad Lancialottũ ſcripſimus, ridicul utiq; eſſet totius medicæ claſsis intentio, pręcepta ſiquidem in vniuerſum tradere, quæ poſtmodũ in paucis aut nullis ferè caſibus exerceri poſſint; quam rẽ qui fuſius, ac magis explicitam ſcire cupit, ea legat, quę pręlo iam commiſſa olim ad illum virum dedimus. Quod quum ita ſit, videlicet, ꝙ huiuſmodi theoremata non niſi in paucis obſeruari valeant, quàm ꝓbè igitur hæc ſuis conſonent auribus, ſecta dicat quęſo: Hoc autem dictum ſit, quò ad eam quam adducit cauſam, quæ Galenum mouere potuit, vt ita anxiè, præpoſterè, curiosè ve ad eius affecti lateris venę ſectionẽ properarit, Ea vniuerſali relicta methodo, quod in principio inflammationum reuellendum non ſit.

SECVNDA IN ORDINE SVMMA

Quæ rationes pro vera poſitione aduerſus Galenum oſtendit.

Capitulum primum, Quod in procœmii modum cauſam aſſignat, cur adductę olim rationes repetuntur.

s EQVITVR deinde unus ex doctioribus ſectę aduerſus meas potiores ponendo rationes, quę me pręſertim à Gal. mente prorſus euocarunt: quas & ſi pluribus aliis in locis variis declarauerim mediis, nihil minus quoniam cõpendioſe, nimisq; mutilate eas refert, ſiue turgentis eius deſiderii efferueſcẽtia, vel diſceptandi fortis libido, aut veritatis (vt admodum decens eſt) profuſus amor, ſiue potius Gal. defendendi vehemens cupiditas, ut eum ſcripta iſthæc noſtra uſquequaq; legiſſe, ſed auidè tantũ deuoraſſe non permiſerit: Huius rei cauſa fit, ut rurſus illius ſuppleam defectui. Et ne mihi etiam aliqua ex parte deſim, illas integras planè ac mẽbris ſuis omnibus recte cõpoſitas in medium afferre decreui, quò ſi minus earũ decor ſplendere, robur ſaltẽ quo potiuntur perſpicuo cuiuis patere poſſit; eoq; id potiſſimũ quũ ipſe illas in materia formaq; delinquere palam minus quã recte dixerit, quin & quod turpius eſt, eas ab hac medica arte pelli debere non ſit veritus pronũciare: Quamobrem ut iis omnibus qui iudicio valent, planius innoteſcat, quibus rationibus noſtra hæc fulciatur opinio, illas iam rurſus aggrediamur.

Capitulum ſecundum, Primam principalem ponens rationem, q̃ collateralis ſecta vena in principio, ut euacuatiua conuenire non poſſit.

i N primis igitur vt hinc rei ipſius oxordium aſſumã, menti reuocandũ eſt, de dolore inflammationẽ ex humorũ fluxione genitã inſequente corpore admodum repleto, nos ſemper uerba facere: eapropter cæteris omnibus particulis immittentibus mẽbrorũ omniũ inter ſe exiſtẽte vnigeneitate atq; conſpirabilitate vniuerſũ planè corpus ad doloris locũ transfundere arbitrandũ eſt, ut de Repub. probè inſtituta euenit, iuxta Ariſto.

ſententiam

ſententiam in libello de animalium motibus, & in problematicis quæſtionibus veluti olim diximus: in qua vno læſo ciue, tota ſanè conturbatur, totaq; ad ſuccurrendum inſurgit, nempe humores ac ſpiritus naturę ſatellites militibus in defendendo offendendo ve proportione reſpondent. Eorum autem quũ localis ſit motus, neceſſario cum terminorum contrarietate exiſtit. Quamobrem quum ii moueri incipiunt, in vno eodẽq; loco ſimul eſſe haud quaquam poſſunt; id enim quod moueri aptum eſt, quum à termino à quo, ad terminum ad quem, (ut verbis philoſophorum vtar) mouetur, ipſo eodemq; tempore, in eo unde receſſit, & in eo ad quem mouetur locum ob terminorum contrarietatem ſimul eſſe non poteſt, igitur quum humorum exercitus ad quampiam corporis decumbit particulam, eo ipſo per quod motus durat tẽpore, ſimul quippe uniuerſus in utroq; termino exiſtere nõ poteſt; ſed ſanè cum in vno, tum in altero eſt, diuerſis attamen modis iuxta uariam tẽporis menſuram, quando omnibus perſpicuum eſt tempus ipſum metiri motum ut ab Ariſtotele phyſicorũ quarto licet videre, neſcio an iſthęc (naturalia quũ ſint) ſectę fortaſſe ſtomachũ ſint motura? Nos planè quũ de humorũ motu mẽbrum aliquod inuadentiũ, De morbi præterea tẽporibus ac poſitionis etiã differentiis, ad quas quandoq; humores ipſos dirigere neceſſariũ eſt, uerba facere eſt oportunũ, quũ ſubalternantis philoſophiæ ꝓpoſitiones eſſentiales ab iis ſeparare nullo ꝑfectò poſſumus modo, niſi falſum quid, aut plebeũ proferre uelimus. Sed redeamus vnde ſumus digreſſi, Quũ cuiuſpiam humoris portio ad partem aliquam repere, & in ea inflammatio iam fieri cœperit (quęcunque pars ea ſit) hoc enim nihil mihi prorſus eſt curę, ſed quoniã de ea ſecta ipſa maxime ſollicita eſſe videtur, quę coſtas interius ſuccingit mẽbrana ipſam ut ſectę mos geratur, nunc opponamus. Dicimus eo nimirum tempore inter initia uidelicet, modicam utiq; illius portiunculam in inflammata contineri ſede, quę tamen quum pręter naturę intentum continuas penetret partes, Earũ continuitatẽ extendendo ſoluendoq; atq; aliam a priori tẽperaturam inducendo illico dolorem, & non leuem quippe in huiuſmodi apprime ſentiente mẽbro excitat, abſit ut ille ego ſim qui negẽ in morbi principio materiam in dolenti loco exiſtere, materialis quum ſit dolor; quæ quũ ita ſe ſe habeant, tunc noſtram nos hoc pacto formemus rationem, Circa finem motus, nihil ſanè humoris in termino à quo relictum eſt, aut ſiquidem fortaſſe durante

ſe durante adhuc aliquantiſper motu illius paululum in eo permanſit, id hercle adeo modicum eſt, ut totius illius humoris ferè (ita dixerim) granum ſit, quod prę ſui tenuitate propemodum deſpicitur, nec medici mentem ad illius rationem habendam amplius ſufficiens eſt mouere: Verum in termino ad quem totus ferè ille eſt humor, nempè ut in illo granum materię (ut diximus) aderat, contra in hoc per multa continetur pondo: Igitur à commutata proportione in morbi initio, materiæ quę tunc temporis in termino ad quem, qui locus inflammationis eſt, colligebatur, non niſi ut granum illius comparatione quę in termino à quo continebatur exiſtebat. Qua de re nec artificis ſenſū pariter mouere poterat, quando totū prudentis medici ſtudiū conuerti oportet circa materiam, quæ ſui magna mole exitium minatur, ea autem in termino à quo, ſed ut receſſura ab eo reperitur.

Hæc ſanè ratio dociles multum motura eſt animos.

His igitur ſic ſe habentibus liquido noſtrę rationis manifeſtatur robur: nimitum q ab eo in quo non eſt loco, materia minime eſt petenda, ſed ab eo duntaxat in quo utique continetur: ac vt uiſū eſt inter initia in termino ad quem nondum continetur: quum in eo non ſit niſi modica, & uti in ſigno, non igitur ab eo tunc peti debet, ſed ab oppoſitis diſtantibusq; locis in quibus ſanè ſecundum eius molem ut in minera continetur ea eſt ſurripienda: Nihil enim prorſus intereſt, ſiue illius in inflammationis loco nihil adſit, ſiue adeo modica illius comparatione quæ in diſtantibus locis continetur exiſtat, ut rationalis medici mentem mouere nequeat; nam planè de pręcipiti inconſideratoq; uiro nō loquimur, quem imprudenti aſſimilari ſeruo poſſumus, qui domini iuſſis non exactè perceptis ad ea exequenda rapide inſurgit, moxq; omnia præpoſtere agit, ſic hominem ira perturbatum philoſophus ethicorum. VI. præcipiti ſeruo comparauit, an non ne cuicunq; iudicioſo uiro maxima apparet inſcitia? Multa in termino à quo exiſtente humoris copia, paruo uero eius in termino ad quem pugillo, pugilli ſolūmodo rationem habere uelle? Illius magno neglecto aceruo? Hoc profectò ei non abſimile eſt homini, qui manū circa pulicem ita implicat, ut ſtipitem quo ſe à ſerpente tueatur dimittat; illud idem ei ſanè accidit, qui in morbi principio à dolore territus oppoſitis diſtantibusq; venis omiſſis, quę humoris multitudinem reſpiciunt, ad eiuſdem patientis lateris venam incidendam properat, quę modicum illum qui iam fluxit ſanguinem exhaurit, atq; hinc totius Gallenicæ ſectæ lapſus

Rationalis medicus materiæ multæ radicem, præceps uero modicæ apicem ictumq; tantum inſpicit.

cauſa

cauſa oritur: Hic vere execrabilis ille error exiſtit, qui è Republica medica eſt ut deleatur, atq; à medicorum libris prorſus abradatur, cuius loco meæ ſane rationes, quę ipſum ueritatis cor attingunt, eſſent introducendę, nequaquam uero (ut inquit ſecta) quod à naturali philoſophia ortũ habeant propterea expellendę.

Capitulum tertium, in quo dubitatio ſoluitur, nempe quo tempore affecti lateris vena ſecanda ſit, ſi inter initia iure incidi non poteſt.

Vbitabit autem fortaſſe quiſpiam, quando nam futurũ d ſit, ut ab inflammationis loco, cum venę eiusdem lateris ſectione ſine rectæ curationis iniuria euacuare liceat, ſi inflammatam ſedem inter initia attingere exitioſum ſit, idq; prius fieri ſit nephas quàm vniuersus in patiente membro collectus humor fuerit: Ego ut paucis nunc rem abſoluam, quoniam ex ſectionis uenarum fundamẽto infra hoc latius apparebit, dico id in totius motus complemento cum prudentia tamen, & pręmeditatione faciendũ eſſe; eſt autem plerunq; tempus id proprium atq; conueniens, quod diuinus Hippocra. ſibi præfixit, quum ab affecta parte ſanguinem mittere voluit, quod non niſi octaua die ab eo factũ eſſe ſcimus, cui Raſes quoq; aſſentiri uiſus eſt, quum inflammationũ humores, ut plurimum nondum circa ſeptimam quieuiſſe dixit, uerum adhuc moueri; non ab re autem addidit, ut plurimum, quoniam eorũ motuum termini penes humoris multitudinem, paucitatem, craſſitiem, tenuitatem, ac corporum ſenſibilitatem, ipſiusq; naturę robur, quod in uno interdũ homine maius, in altero interdum minus reperitur, planè euariant: hoc idem etiã nobis inſinuaſſe Auicennam putandum eſt, quum dixit, Qui ex pleuriticis ſeptimam pertranſeunt, ut plurimũ euadunt, nam poſt id tempus humorũ mali motus atq; impetus ſedari ſolẽt: Quum igitur ex illuſtrium medicorum ſententia, motus in tam longum tempus protrahi poſſit, ſitq; illius quę è directo ſita eſt, ſecandæ uenę tempus apprime congruum, cur Galeni ęmuli immaturè in morbi principio ab inflammationis loco in quo humoris tunc pugillus exiſtit, feſtinam euacuationem tentare conantur? locum uero ipſum omittentes, in quo ingens humoris continetur cumulus, quem certe ſi eiusdem lateris uenam ſecent, uacui facultate ad augendam inflammationẽ dubio procul trahunt atq; conuertunt:

Res hæc

res hęc mehercle pręter id quod ad contradictionis implicationem aperte eos deducit, propriã etiam uocem ignoraſſe luce clarius oſtendit: Ignoſcat ſecta, ſi ſemota reuerentia loqui uidear: nã & ita veritas cogit, & iurgiis quorũdã plena verba quę mihi aures toties diſtraxere, præter morẽ, & inſtitutum meum me cõpellunt.

Capitulũ quartũ, in quo illius primę & principalis rationis ponitur confirmatio.

Onfirmari multis adhuc poteſt modis poſitio iſthæc noſtra, quæ eiusdem patiẽtis lateris uenam inter initia nullo pacto ſecandam eſſe contendit, nam ſi (vt uidimus) humores in motus cõplemento re uera quieſcunt, quieſcentibus vero euacuatio debetur, in eorum itaq; motus fine congruè eiuſdem lateris venæ ſectio competit, quæ noxium ab inflãmata particula ſucceſſiuum educit, id quod nec Galenum etiam aut ex ſuis ęmulis quemquam inficias iturum cenſuerim, nempè ſi quis aut per incuriam, aut ob ſecantis artificis indigentiam, aut alia quauis de cauſa pleuritidis curationem ad octauã uſq; diem forte protraxerit, interrogauerim ego ſane Galenum, aut ex ſuis quempiam, qualem tunc venam recte diducere oporteat: Nam profectò ſanguinem mittere (quum is morbũ gignat) omnino neceſſariũ eſt, qui dubio procul nil aliud reſpondere poterit, quàm tunc eã quę è directo patientis eſt lateris ſecandam fore; quod quum ita ſit, in hunc nos arguamus modum: In motus humorum fine vbi uidelicet eorum fluxus conſtiterit, nec ulla prorſus illius portio decurrat amplius, ſed vniuerſa in affecto contineatur loco, ſi ſanguinis miſſionem morbus expoſtulet, nulla conuenientior opportunaq; magis eligi poteſt vena, quàm ea quæ eidem brachio reſpondet, ergo ſi hęc in fine adeo congrua eſt, contra in principio inepta prorſus omniq; ex parte importuna cenſenda eſt, quippe, quod principium fini extremè opponatur, ac quod vni conuenit alteri penitus aduerſetur neceſſe eſt. Quamobrem alia quęrenda eſt, quę legitime inter initia adminiſtrari valeat, ea autem (noſtra quidem ſententia) eſt, quæ in pedis talo ſita eſt vena, quam Saphenam dicunt: hac ſanè ratione, primus omnium magiſter Ariſtoteles uſus eſt, tum in libro de miſtis, qui veluti archiuum eſt, in quo medicorum reducuntur ſacraria (abſit verbis

eorum liuor)qui medicam facultatem à philoſophia ſeiungi debere contendunt, tum in eo qui de inſpiratione atq; expiratione inſcribitur libellus, & in libro prӕterea de animalium generatione. Quapropter ſi hunc arguendi modum ſe poſita uerecundia ſecta irrideat, tanti procul dubio uiri deſtruit dogma. Quo ſe rectos naturӕ inceſſus probè monſtraſſe arbitratus eſt.

Capitulum quintum, in quo ad idem alia ponitur ratio.

a Mplius quo nam pacto conſilium hoc ſuum maturum eſſe poteſt: Quod contra artis prӕcepta pugnat, quӕ per Galenum, ſunt adducta, cui Princeps Arabs Auicenna aſſentit in ſuis uniuerſalibus regulis utpote quas uterq; à diuino Hippocrate collegerit. Vult nanq; in principio fluente etiam num humore per patientia loca omnino euacuationem non tentari, quando ab eis non minus quàm à lӕtalis cuiuſpiam pharmaci potione cauendum eſſet Galeno potisſimũ aſſerente, elatioriq; uoce clamante, nil deterius, nil inflammationi pernicioſius, quàm fluctionem ad eam promouere id quod prӕſertim repleto corpore per eandem inflammatӕ ſedis differentiam principio euacuare tentantibus accidit. Huius autem ueritatis robur infra uidebitur, dum quinta ſumma declarabimus ea, quӕ eiuſdem ſunt differentiӕ, eiuſdem quoq; formӕ rationis & proprietatis eſſe, iccirco par uideri per eandem, aut per proximam partem ducere, modo utraq; eiuſdem ſit differentiӕ.

Capitulum ſextum, in quo ad idem alia ponitur ratio.

v T & iis maius quoddam aliud conueniens addamus dictũ planè modo à nobis eſt, improbũ ob id hunc operandi modum eſſe, quod à ſalubribus artis conſiliis, eorumq; recto aberret tramite, uerũ hoc multo ſanè grauius eſt, quum illius utiq; principiis repugnet, medicis nanq; legibus ſancitum eſt, ne cui prius ullam corporis liceat ſanare particulam, q̃ uniuerſi corporis curationem moliatur, ubi potisſimum pletoricũ corpus appareat, ueluti probè Plato, & Ariſto. dixere, quorũ Galenus in quarto de morbis curandis inhӕret authoritatibus. Hic ò Galeni ſecta aures arige, ac recte conſpicare, medicinam philoſophiӕ alumnam, quando concorditer illuſtres ii viri dixere, non licere ocu-

lum ſanitati reſtituere, niſi totum prius ſanetur corpus. Quam ob rem quum hæc ueſtra curandi ratio nulla corporis in uniuerſum conſideratione habita illico ægrotantem particulam rapidè aggrediatur, inexcuſabili peccato delinquit, utinam quæ contra Curtianos, & Briſottenſes, ac demum contra Manardum ſcripſimus, probè legiſſes ſic nanq; planè abs te uiſum foret has à nobis adductas rationes non adeò (ut ex ueſtris quidam inquiunt) uitreas eſſe, minusq; à ſyllogiſtica forma deflectere, quum in omnibus Ariſt. methodo innitantur minusq; falſitatis materiæ abs te accuſari poſſe, quum nos, falſi quicq̄ eis non immiſcuerimus, ſicut contra in tuis abs te factum eſt, quæ ſtatim puſilla ac futili admodum mota ratione materiæ granum uix dum in inflammationis loco collectum inter initia euacuare properas, multas nimirum eius libras paruipendens, quæ in oppoſitis diſtantibusq; partibus reperiuntur, tot præterea abſurda dictis tuis p̄miſcens, ut merito retorqueri posſit uulgare illud dictum: Qui uis feſtucam tollere, tolle trabem.

Capitulum ſeptimum, in quo ex Galeni uerbis contra ſectam ponitur obiectio.

NEq; ſanè is ego ſum, qui negem Gal. textum methodi. xiii. ueſtris in rationibus citatū in morbis ſcilicet quos ipſe p̄prio quod careant nomine, fientes appellat, duplicē reperiri naturā, quippe qui tum ex quadā adhuc fluente, tum ex alia quę iam fluxit humoris portione cōſtituantur, ob idq; ei quæ fluxit parti curationē, fluxuræ uero præſeruationē deberi, huic profectò, nemo eſt qui contradicat theoremati, præter uos, qui ore ipſum cōfitemini, opere aūt negatis. Qua nēpe de cauſa uos ueſtrā ignoraſſe uocem pluries non ſum ueritus pronunciare, at nec ſatis unq̄ uos excuſare potui eiuſdem lateris in inflāmationis principio uenā ſecantes, quādoquidē fluxurā humoris partem, eo pacto non modo nō auertitis, quin ut ſæpius dictū eſt, ad inflāmationem eā potius cōuertitis, nēpè ſic, qđ nondū factū erat, facitis: & iam factū, præterea augetis. Quam ob rem eā quæ in inflāmatione eſt materiā euacuare tentātes præpoſtere nimię agitis, quū præſertim eo tēpore magna ſit reuulſionis necesſitas, & ſanè nō cuiuſuis, ſed eius quæ inſignis admodum exiſtit, quū hæc totius operis. Huiusq; intenti negotii ſit fundamentū modo quis tam ſenſus ac rationis expers eſt, qui operis fundamētum opus ipſum præcedere neſciat? Potisſimum ſi cum prudentia

res agi debeat? Verum ne Galenum negligere uideamur ipſum uerba aliquantiſper æqua lance libremus. Quæ maxime ſecundo de ro.uic.in acu.ſub hac uerborum ſerie ſcripſit, quum dolor ſuperiora infeſtauerit loca uenam in cubito ſecare eam oportet, quæ ſanguinem ab affecta parte, & magis & uelocius, tum reuellere tum euacuare poſſit: Quo hercle in loco Galenus artificioſe admodum locutus eſt, quanuis tu qui mihi aduerſaris cum Galeni ſecta emunctis naribus minime id olfeceris: Dixit nanq; tum reuellit, tum euacuat, & non è contra: Quod ea ſanè ratione ab ipſo factum eſt, ut eſſentialem inter diuerſos hos actus ordinem oſtenderet, uolens nimirum reuulſionem ueluti operis fundamentum euacuationem ipſam eſſentialiter anteire. Verum ſecundum Curtianos hic unum annotatione dignum à nobis non omittendum eſt. Quod quum per unicam eiuſdem lateris uenæ ſectionem hos ambos actus aſſequi uoluerimus. Huiuſmodi ſanè actuum diſtinctio ſenſu haudquaq̃ apprehendi poteſt, quando ea non penès diuerſa temporis momenta, ſed iuxta uaria duntaxat naturæ ſigna attenditur: Quæ profectò res, ut olim in primo dixeram libello methaphiſicalis omnino eſt, quē igitur res hæc emittat odorē, qui ex ueſtris emunctioribus naribus eſt, dicat quæſo, nimirum hac in facultate actiones quæ ſubiecto loco, & tempore diſtare debuiſſent ad methaphiſicales abſtractiones intellectui uix perceptibiles uelle reducere. Quum nihilominus tam acriter me reprehendat, quòd naturales quandoq; adduxerim propoſitiones, à quibus res medica, ne utique diuelli poteſt, quanuis (ut Auicennæ utar uerbis) medicus in illis ut Alphachi, non ut Mutachelim ſermonem habeat, ſed quoniam ita per principes huius hæreſis decretum eſt. Hunc planè uehementem dolorem non ſentitis. At qui maximum dolorem non ſentiunt, his mens ægrotat.

Capitulum octauum, in quo quæ contra ſectam facta fuerat obiectio retorquetur.

Ihi autem uidere uideor uos hic aduerſus nos obiicientes, dicenteſq; uir in medicorum ſcholis aduena ſi duos hos actus in eiuſdem met lateris uena fieri poſſe negas, hácq; ueluti nimis abſtractā diſtinctionem irrides: In hanc tu quoq; quā feciſti foueā cadis, tuoq; te ipſo confodis gladio: Nam licet duos hoſce actus in eiuſdē lateris uena nō cōcedas: Eos tamen in oppoſi

ta fieri non modo poſſe, quinimmo & neceſſarium id maxime eſſe contendis, Quò fit, ut nec tu, tam tenuem horum actuum diſtinctionem euitare poſsis. Huic ego (ni fallor) cauillo infra plenius ſatisfaciam, ueritatisq́;, & anathome, à qua nihil minus alienum me adeò cenſuiſtis conſentanea adducam fundamenta.

Capitulum nonum, in quo ex Gal. uerbis oſtenditur reuulſionem ipſam totius operis curatiui in apoſtemate fluctione genito fundamentum eſſe.

a D id autem loci à quo modo paululum receſsimus redeuntes dicebamus Gal. in allegato iam à nobis loco ſapiẽtisſimè quidem locutum fuiſſe, quum reuulſionem euacuationi tanquam operi fundamentum præpoſuerit, in qua profectò re maxime conſentimus, uerum in hac ab eo disſidemus, q̃ illarum utranq; reuulſionem ſcilicet & euacuationem per eiuſdẽ patientis lateris ſectam uenam perfici ſimul non poſſe dicimus: In hoc ſecta tui mihi ueniam dent Galeniſtæ, qui hominem hanc errare unq̃ potuiſſe haudquaq̃ ſibi perſuadere poſſunt, ueluti & olim in primo noſtro diximus cõmentario, à quo certe nobis nunq̃ recedendũ eſt, quoniã ex ueſtris neminẽ uidimus adhuc, qui folio tenus, ne dum radicitus dimouere ipſum potuerit, tantũ nempe roboris firmitudinisq́; à ueritate aſſecutus eſt: A d id itaq; res noſtra deducta eſt, ut reuulſio ſine ullius controuerſia ille potisſimũ ſit actus, qui omnes alios fermè antecedat, atq; illũ præſertim per quem is qui dolorẽ facit humor euacuatur. Quam ob rem Gal. diximus artificioſe plurimum ſub prædicta uerborum ſerie, ea protuliſſe uerba:

Epilogus.

p Luribus igitur modis hactenus: quæ in proximo directè cubito inter initia fit uenæ ſectio à nobis reprobata eſt, tum q̃ imprudenter nimium agatur: quum hæc illa ſit quę ita præ omnibus intenditur, ſicut in domo tectum, at ab ea tamẽ non ſit inchoandum, ſicut neq; à tegumento domus ſuũ capit initium, nam in moralibus ac in phyſicis auſcultationibus nos docuit Ariſt. nõ eſſe ab eo incipiendũ, quod in intentione primũ ſit, ſed ab illa potius qđ eſt omniũ nouisſimũ tũ uel maxime, q̃ præter omnẽ fermè ſit rationẽ, nimirũ, quum inde materiã petat, ubi nõ eſt, uel nõ

in ea ſaltem proportione, quæ ad euacuationem cogat, adde, ꝙ artis præcepta religioſè nimis colat, & obſeruet. Quum per patientia loca in principio euacuet: eo præterea abutatur ingenio, quod fini quidem congruit, initio autem repugnat: Ad hæc nō leui contra artis mandata oberret peccato: Quòd omiſſa uniuerſi corporis curatione ipſam q̄ primum tentet ſanare particulam.

Capitulum decimum, in quo ſecunda principalis ponitur ratio ꝙ collateralis non minus ſecanda non ſit, qua non reuellit.

Vrſum nunc hanc eandem uenæ ſectionem principalio- r ri refellamus uia, inde ſumpto initio ubi palàm delinquere ac eſſentiale quodam ex ipſius planè artis uiſceribus exiens omittere uidetur, nullus enim non ſcit, id ex medicinæ artis penetralibus prodiiſſe Theorema, ꝙ in quouis inflammationis fluctione genitæ initio reuulſione uti oporteat, at quū huiuſmodi uenæ ſectio euacuationis duntaxat, & ne reuulſionis quidem tantillum fungatur munere, quis illam arti conſentire p̄tinaciter contendet? Quis ut penitus extrudatur omni eam calculo dignam non cenſuerit? Verꝫ enimuero pro miro quodam inuēto, hac in re Gal. neſcio quo ſpiritu ductus impoſſibile quoddam imaginatus eſt, q̄uis id ſequacium auribus probè conſonet: ex quo quantus ſit ſectæ conſuetudinisq́ꝫ amor perſpicuū euadit, qui nanq́ꝫ ut dicit Auerrois, puerilia falſaq́ꝫ audire aſſuetus eſt, eis maiorem q̄ ueris ac naturalibus ratione probatis fidem adhibet, isq́ꝫ nimiꝫ ei ſimilis eſt qui uenenū aliquod hauſit, qui niſi per antidoti alicuius aſſumptionem minime curari poteſt, ita quoq́ꝫ nec ſectæ addictus ab erroribus unq̄ expurgari ualebit, niſi ueras rationiq́ꝫ conſentaneas proportiones continue audiat, imaginatus itaq́ꝫ eſt Gal. eiuſdē patientis lateris uenam ob huiuſmodi morbi acuitatem in pleuritidis principio incidi debere, ꝙ eā tum reuellere, tū euacuare poſſe crediderit, atq́ꝫ hoc pacto, quū eam reuulſionis officio quadantenus fungi putauerit: Prominentem ſibi ſcopulū euitaſſe arbitratus eſt, id uidelicet, ꝙ in omni inflammatione ſit renellendum.

At contra hoc unum ego per iocum obiicio: cur ſi proximam conuenientemq́ꝫ uenam duplicē hanc facultatem poſſidere, atq́ꝫ eo caſu recte incidi exiſtimauit cur inquam, non minus in alio quouis morbo ipſam ſecare iusſit? Cuius oppoſitum. xiii. methodi. ii.

ad Glauconem & alibi præcipit, quum præſertim uniuerſi medici ſcopus ſit, morbum (ſi fieri poſsit) prorſus & quàm citiſsime auferre, ut ipſe tertio methodi teſtatur, cur ſicut in acutis non æque in reliquis omnibus operatur? Licet nanq; prolixior ac mitior morbus mortem haudquaquam ueluti acutus inferat, eius tamen longitudo adeò ægrotantem detinere poteſt, ut ab hoſte tandem circumuentus intereat, cui obſtitiſſe minime ualuerit: nulla igitur mehercle cauſa eſſe debet, ſi ea uera rectaq; ſit curandi ratio, ob quam in acutis maxime in non acutis minime itidē ſit faciendum. Quam ob rem dubio procul hoc uoluntarium eſt, ob idq; dimittatur: ad noſtrum uero inſtitutum accedamus, ex quo opinionis huius falſitas probè detegetur, nam quum uenæ iſtius diductio humorem (ut infra probaturi ſumus) ad affectum membrum conuertat, nullo quidam igitur diuertere poteſt modo: Nimirum quum diuertere conuerteréq; maxime inter ſe ſint contraria, quorum planè lex eſt, ut in eodem ſimul manere non poſsint. Præter hoc impoſsibile eſt, ut quod tantummodo euacuat, id & diuertere poſsit: Quòd autem in eodem affecto latere ſecta uena tantummodo euacuet, in hunc probamus modum: ſicut enim natura cunctis in rebus terminos quærit, quum non minus ac uacuum infinitum quoq; ipſum abhorreat: ita & ars illius facit ſedula imitatrix. Igitur & in uenæ ſectionum latitudine ars terminos quærit, quam ob rem & ipſos conſtituet, primum uidelicet, & ultimum ac medium, ex quibus omnis completur uenæ in uniuerſum ſectionis latitudo, indeq; euenit ut diuerſos in pleuritide terminos dari neceſſe ſit, qui uariis medici intentionibus ex diuerſis humorum motus ac temporis partibus inſurgentibus correſpondeant: Quapropter quum quædam uenæ ſectio reuellere duntaxat potens inueniatur, quæ ſoli principio propria eſt, utpote quæ ex ſaphena fit, id quod procedentibus nobis fiet manifeſtius: detur quinetiam in medio motus ac temporis duplex intentio, reuellendi inquam, & euacuaudi, ergo aliud quoque neceſſario extremum reperiri neceſſarium eſt, qui ultimus latitudinis terminus eſt, omni prorſus ſemota reuulſione tantummodo euacuans. Hunc uero (& ſi fingere liceat) nullam rectius excogitare poſſumus uenam eſſe, quàm eiuſdem patientis lateris baſilicam. Poteſt & non minus hoc & alio conuinci medio, quòd extremam ac uenæ ſectionem aſsignari oporteat, quæ prorſus quidem euacuet, nullatenus autem reuellat, ſenſui nanq; manife-

ſtum

ſtum eſt, miſtam quandam ex reuellente, euacuanteq́, phloboto-
miam dari, eam uidelicet, quæ oppoſitæ baſilicæ eſt: inſuper &
reuulſionis tantum aliam participem, igitur & omnino aliqua da
bitur, quæ omnis prorſus reuulſionis expers ſit: Solius autem ſit
compos euacuationis: atq; ut hoc in exemplo dicam ſi mouens
motum deinde puta animal deturq́ motum non mouens, ut ter-
ra, ergo & mouens non motum dari neceſſarium eſt, QVI
DEVS GLORIOSVS eſt, præterea ut Ariſtotelis
exemplo utar, ſi ex aceto melleq́ compoſitum oximel, ipſumq́ &
per ſe acetum à melle ſeiunctum inuenire liceat, alterum quoq;
ab altero ſeparatum dari oportere, nemini eſt ambigendum: Hac
autem (ut ſcis) ratione proceſsit Ariſtoteles, quum primum eſ
ſe motorem probauit, quæ ſi in aſtruendo totius naturæ funda-
mento ei ſatis eſſe potuit, cur nobis quoq; ad extremæ phlobo-
tomiæ probationem non ſatis ex uſu eſſe debet: Rem igitur ad
unum colligentes quem ad modum reuulſiuam tantum, & extre-
mam ſimpliciter ſenſu cernimus. Eam ſcilicet quæ in ſaphena ſit
ſectionem quàm in pleuritide uos qui Galenum inſequimini ne-
gligitis: Ea uidelicet de cauſa quia ſi reuellit non euacuat, er-
go & euacuatiuam tantum dari ueluti extremum ſimpliciter fa-
teri neceſſarium eſt: Et eam omnino eſſe quæ eiuſdem eſt lateris
baſilica, ergo per iſtam reuellere nequaquam poſſumus, ueluti
perperam Galenus eſt arbitratus.

Capitulum undecimum, in quo ſectæ tollitur fuga di-
cens quòd licet prædicta euacuatiua ſit,
reuellit tamen quadantenus.

a T qui quod aiunt, uenæ eiuſdem lateris ſectionem licet
proprie principaliterq́ euacuet, quadantenus tamen ad-
huc reuellere, nihil omnino eſt. Huic enim dicto præ-
ter hoc quòd ipſum ſeipſum interimat, quum morbi potius ini-
tio id quod ſimpliciter reuellit, & quadantenus euacuat, magis
conuenire rationi reſpondeat, quàm è contra: Aduerſatur & il-
lud quod quinto de animalium generatione dixit Ariſto. quum
ab ipſo quæritur, quam ob cauſam uox magna paruaq́ dari haud
quaquam poſsit, quum alioqui uox grauis magna eademq́ gra-
uis parua: Non minusq́ acuta magna, & acuta parua dari con-
cedatur: cui dubitationi reſpondet hoc ob id accidere: Quòd
magna

magna uox parua eſſe non poteſt : quum illa duo extrema ſint, in quibus rationes inſunt ſimpliciter. At extremum alterius prorſus extremi expers ſincerumq; exiſtit : Albedo enim ne tantillum quidem nigredinis (ut extremæ utræq; ſunt) participat: Verum eatenus inuicem coire poſſunt, quatenus permiſtæ, ac non omnino ſimplices exiſtunt, ut in uiridi ruffoq; colore, planè eſt uidere, id quod in oppoſiti etiam lateris baſilica uſu uenire intelligendum eſt: ea nanq; media ac ferè miſta quum ſit: eo quem diximus modo, tum reuulſiua, tum euacuatiua eſſe poteſt: At quæ in malleoli uena ſectio fit, ob id ſanè q; merè ſimpliciterq; reuulſiua eſt, extrema enim adeò eſt, ut nulla alia remotior reperiri ualeat: nullo pacto euacuare poteſt, nam ut ſupra à nobis dictum eſt, fieri haudquaquam poteſt ut extremum quicquam in ſe alterius admittat extremi: Ergo eadem ratione ſecta, quæ in eodem latere eſt baſilica, utpote modo dictæ extremum oppoſitum exiſtens, quum præter eam nulla amplius ſit reliqua, euacuare duntaxat, ne minimum quidem reuellere nata eſt. Huic adde, q; ſupra hominis captum eſt, eandem præciſe uenam, & in eodem latere ſitam eſſe, & reuulſiuam ſimul dici. Hoc enim contra termini (ut aiunt) formalem rationem planè eſt, iccirco contradictionem in ſeipſo dubio procul includit, qua nimirum de cauſa hos Galeni ſectatores propriam ignoraſſe uocem pluries à nobis dictum eſt: Hanc profectò rationem propè ſatis ad demonſtrationem accedere cenſeo, uerum hic uiri Galenici diutius nō immoror. Nam quum rationibus ueſtris quas tanquam dictorum meorum diſſolutiones adduxiſti reſpondebo. Hoc luce ipſa à me clarius explicabitur, ex iis omnibus igitur cuiuis perſpicuum eſſe poteſt: Sectam ab ea parte uenam in dexteri uidelicet lateris inflammatione dexteram baſilicam inter initia quidem, neutiquam conuenire, quinimmo exacrabilem eſſe omniq; ex parte deteſtandam.

Capitulum duodecimum, in quo illa etiam tollitur fuga dicens uentoſam loco appoſitam extremum eſſe euacuatiuum in phlobotomiarum genere, & non collateralis baſilicæ ſectionem.

n Ec ſanè hic nobis aliquis iſtius collateralis baſilicæ ſectionem extremum eſſe neget, id uero patienti loco applicitam

plicitam cucurbitam eſſe ſtatuat, utpote, ꝙ (ut ex ui termino-rum conuinci poteſt) phlobotomia nil aliud importare uideatur, q̃ uenæ ſectionem, quod quum ita ſit, nihil eſt, quod cucurbitu lam inciſam à phlobotomia ipſa ſeiungat: Niſi forte ut quidam doctor dicit ꝙ triuialis quidam uſus id efficiat. Hoc profectò ni hil eſt, quando de uenæ ſectionum latitudine in præſentia ſermo eſt, at planè de cucurbitulis uerba facere ubi de ſecanda uena a-gatur, ſomnulentis certe eſt, aut delirantis. Quum enim medici ſanguinem mittere cupiunt, aut ut reuellant, aut ut euacuent, ſelecta nimirum ſibi comperiere ingenia, ueluti phlobotomiam, uentoſas hirudines, & quum unum aliquod intendunt de alio mi nime uerba faciunt. At qui contradictor hic dicat quæſo? ſi me dicus diligenti habito conſilio phlobotomiam (ut neceſſariam) perciperet, artifex uero proprio marte uentoſam eius loco appli-caret, nunquid medicus ſibi factum fuiſſe ſatis putaret, minime mehercle; ergo unum aliud non eſt, item iſta in arte copulatiue proferuntur, cuius planè munus eſt inter diuerſa copulare, item horum unum in una, & aliud in alia conuenit ætate: Item cum uno inſtrumento unum, & aliud cum alio conficitur, amplius u-num ferro, aliud ferro & igne, quonam ergo pacto unum aliud eſſe dici poterit, uerum mihi incertum eſt, an uniuerſa medico-rum Academia uulgari triuiali've loquatur ſermone, neq; uena-rum inciſio ab utroq; facta ingenio me perturbat: Ad diuerſita tem nanq; effectuum diuerſus ſufficit agendi modus, ut ex libro de miſtis à philoſopho receptum eſt, huius fidem faciunt complu rima ſanè experimenta, quæ breuitatis cauſa omitto ex quibus omnibus perſpicuum euadit non eſſe idem cum ſcarificatione ap plicitas cucurbitulas, quod uenæ ſectio eſt, relinquitur itaq; ut eiuſdem igitur lateris phlobotomia aliud (ut diximus) extremũ ſit ſolius euacuationis dotes poſſidens. Nam eorum quæ ſibi in-uicem opponuntur, ubicunq; unum inueniatur, alterum quoq; re periri neceſſarium eſt: In iis enim quæ generationi interituiq; obnoxia ſunt, natura ob finem quendam probè à philoſophis co-gnitum perpetuo contraria immiſcuit, proinde ſi eorum unum in re eſſe affirmes, uelis, nolis, illico & alterum dari conceſſeris, quò fit, ut quum extremum mere reuellens in ſaphenæ inciſione reperiatur, quod nunc ſupponamus tanquam infra probaturi: Al terum quoq; duntaxat euacuans reperiri neceſſarium ſit. At quod ex iis medium eſt, medio quoq; ſe habebit modo, medium autẽ

hoc

hoc oppoſiti cubiti baſilica eſt, reliquum itaque erit, ut quæ in col laterali brachio ſita eſt interior uena, aliud extremum ſit, quod euacuationis tantummodo munere fungi ualeat. Quam ob rem quiſque illam reuulſionis etiam participem fore contendit, is certe tota aberrat uia.

Capitulum tertiumdecimum, in quo denique ex duabus principalibus rationibus iunctis tertia integra perficitur ratio.

S Ed nunc dictorum noſtrorum diuerſas inuicem partes complectamur, probatum ſanè à nobis antea eſt, uenæ eiuſdem lateris ſectionem huius morbi principio tanquam euacuatiuam non competere: Eandem nunc quoque tanquam reuellentem illi minus congruere ratione conuincimus. Quam ob rem ſi ſufficiens partium fiat enumeratio, nulla ſiquidem ratione, ea idonea eſſe reperietur, quod quum ſecus Galenus exiſtimauerit, non eſt quod ipſum illius quoque emulos ab errore uindicemus. Extremorum enim alteri attribuit, quod medio tantum conuenire uidetur, eam præterea ſanguinis miſſionem, quæ fini aptiſſime congruit, in oppoſito illi principio opportunam fore contendit. At qui quod fini conueniat, uno omnes fatentur ore, proinde non ſatis imaginari poſſumus. Quis homini huic obſtiterit, DEVS, effeceritque ut non ipſe modo ita præpoſterè agat, uerum & tot denique uiri reperiantur, qui & intelligere, & imitari pertinaciter ipſum uelint: ſed eſt iam tempus ut quum rationum mearum uires hactenus oſtenderim, ad obiectorum ſectæ enodationem modo me conuertam, uerum ea prius recenſere operepræcium eſſe arbitror.

SVMMA TERTIA.

Capitulum primum, in quo primæ rationi ſecta reſpondet.

I NSVRGIT itaque ſecta contra primam rationem ac eam deſtruere totis (ut aiunt) uiribus enititur, nam inquit ſi dolor inter initia locum infeſtat, materiam in eo non contineri impoſſibile eſt,

le eſt, quæ diſtinctionem ac continui ſolutionem facit. Dolor enim quum materialem eum eſſe nemo neget, materiam in affecta ſede iam contineri manifeſtisſime arguit, quæ nimirum morbi principium faciens ad eius augmentum ſe parat, unde continuato defluxu morbi congeries augebitur. Quam ob rem eo tempore quędam humoris portio eſt, quæ iam fluxit, quædam uero quæ ad inflammatum adhuc decurrit locum. At qui fluenti adhuc inquit, debetur reuulſio, ei uero quæ iam occupat membrum, debetur euacuatio, cuius ſanè rei teſtem adducit Galenum .xiii. methodi, ubi ſic habet, phlegmones uero quæ adhuc in generatione exiſtit duplex eſt intentio, & quæ ſequuntur, quare ita ſtante meam funditus deſtrui rationem dicit: Nam dicere humorem ab inflammato loco, & inter initia peti non poſſe uanum eſſe exiſtimat, quum eius ſaltem pars aliqua fluxerit: cuius ratione euacuatio neceſſaria eſt. Quam ob rem exultans meum inquit ruere fundamentum, quod à me proloquii loco ſemper eſſe habitum aſſerit.

Capitulum ſecundum, in quo ſecundæ principalis etiam rationes ponitur reſponſio.

Lteri præterea reluctatur rationi noſtræ, quæ ex eodem affecto latere factam ſanguinis misſionem in principio ob id non conuenire contendit, quòd minime reuellat, ſed tantummodo euacuet, quum tamen reuulſionem ſolam inflammationis principium deſideret, enimuero quidam ex ſecta ridens inquit uanum fore hanc demonſtrationem eſſe, aut demonſtrationi proximam exiſtimare, quum & in materia, & in forma (eius ſententia) manifeſte delinquat, formæ autem peccatum detegere omittens. Materiæ falſitatem duntaxat oſtendere conatur, nullam enim dicit in medicorum ſcholis uenæ ſectionem dari, quæ ſolius diuerſionis officio fungatur. Quam ob rem nec ea quidem, quæ in ſaphena fit uere ac merito reuulſiua appellari poteſt: quum humorem ad eum à quo prius recedebat, & à quo prius mouebatur, locum minime retrahat: euidentius enim multo eſt, quàm ut probari oporteat, eam à pede ad membranam coſtas ſuccingentem non moueri: Verum & ſi diſceptationis gratia concedatur, (ut uulgo medici inquiunt) reuellentem eſſe, non ob id tamen prorſus exquiſiteq; reuellere, fateri licet, ita ut euacuare etiam non poſſit, omnis

ſit, omnis nanq; ſecta uena Galeni teſtimonio ſecundo de ro. uic. in acu. à toto animalis corpore euacuat: Huc accedit, quòd ſi à ſuperioribus membris ad thoracis partes materiam fluere contin gat ea conuertens potius quàm reuellens tunc eſt nuncupanda, ſi quidem eo tempore fluentes humores ad medium pectoris ſpa-cium conuertit, (tantum abeſt) ut ab illo eos retrahat: Nam ip ſi ad infernas partes ita detruſi doloris uiolentia ad inflamma-tum locum trahuntur. Quam ob rem falſum profectò & hanc ſa phenæ ſectionem adeò reuulſiuam putare, ut omnis prorſus eua-cuationis expers cenſeatur, quinimmo & extremas has ſectiones dari impoſſibile eſſe, quum nimirum quælibet inciſa uena tum reuulſionis, tum euacuationis dotes poſſideat. Proinde rationem hanc noſtram uitream ac glacialem appellat, minuſq; dignam iu dicat, quàm ut inter medicos à me fuerit adducenda. Quippe quum ii rationibus tum experimento collectis, ſenſuq; diiudica-tis innitantur: Quo fit, ut eas poſtmodum, quæ ſenſatis rebus non concordant, iure omnino negligant: Negat ad hæc eam qua inceſſimus uiam modo aliquo infringi Galenum poſſe, uerum hac tantummodo, nimirum ſi per uenarum diſſectionem à me proba tum fuiſſet eiuſdem patientis lateris in principio diductam ue-nam plus ſanguinis ad inflammationis ſedem allicere quàm di-uertere. Nempe ubi id tentaſſem, reſq; mihi ex ſententia ceſſiſ-ſet, herbam ſe mihi daturum fuiſſe pollicetur. At quum minus id à me factum ſit, nec fieri etiam poſſe exiſtimet, ob id ratio-nes meas, omnes uanas inutileſq; prorſus eſſe arbitratur.

Capitulum tertium, in quo illud ſoluitur motiuum q. collateralis non reuellat, quia conuertat.

Illud uero quod à me dicebatur iccirco eiuſmodi ſangui nis miſſionem non conuenire: Quod ad inflammatum po tius locum humores conuertat, atq; detrudat: quam ab eo diuertat: Ingenue negat, eiuſq; huiuſmodi ferè ratio eſt, nul lus enim hercle mentis compos dubitare poteſt, facta uenæ aper tione ſanguinem liberius, multoq; facilius per maiores uenas ad diductionis locum fluere, quàm ad anguſtam impactamq; inflam mationis ſedem per tenues exileſq; adeò, ut capillos fermè refe-rant, ueluti ex mutato ſanguinis colore coniectari cuius facillimũ eſt. Quam ob rem nulli ſatis rationi conſentaneum uideri debet,

fluentes

fluentes materias per proximam in cubito ſectam uenam ad affectum membrum declinare, quin potius uerisimilius uidetur, eas ad apertionis locum decurrere, quum præſertim ad hanc regionem promptisſimus ſit acceſſus: Ad eam uero ægrè admodum aditus pateat: Præterea quum & in ipſa inflammatione contentus ſanguis per hanc uenam educatur, fieri nullo pacto poterit ut fluens adhuc humor ad eum locum accedat, ſiquidem prior egrediens ingredientem propellet, ac quo minus eo loci penetret prohibebit: Neq; enim posſibile eſt, ut per eaſdem uenas uno eodemq; tempore hic quidem exeat, ille uero introducatur, contrarii nanq; motus cum ſint unus alterum impediet, & amouebit. His itaq; duabus motus rationibus, qui ex iis doctoribus clarior & acutior eſt, aſſumptum tollit noſtrum, ac tribus deinde poſitis propoſitionibus multo ſe clarius ueritatem iactat illuſtraſſe.

Capitulum quartum, in quo tres ab aduerſario ponuntur propoſitiones, pro Gallenica ſecta.

Arum autem prima eſt in eodem latere ſectam interiorem uenam quam & baſilicã ac iecorariam appellant humorem ab inflammata parte utiq; educere, id quod ex Hippocratis uerbis manifeſtum eſſe, inquit, quum ipſe, eouſq; ſanguinem auferri iubeat, donec in phlegmone contentus exire cœperit: Quæ poſt hanc ſequitur propoſitio. Humorem in obſeſſa particula iam collectum per modo dictam uenæ ſectionem inde haudquaquam educi poſſe contendit, niſi quæ prius in mẽbranæ ſpatio colligebatur, rurſus uenas ingrediatur minutiores, primo mox maiores, donec ad maximas perueniat. Hanc per rĩſum hortatur, ſi posſim deſtruam, quaſi uero eam ueluti memphiticam piramidem ſe peperiſſe ſibi perſuadeat: Tertia demum eſt, ꝙ humoris egredientis motus per eaſdem uenas ſubintrantis motui opponitur, nam ſi ingreſſus eadem eſt uia, egrediens utiq; materia alterius ſuccedentis aditum impediet, ſiue uenarum oſcula tenuia, ſiue (ut omnis tollatur dubitatio) lata admodum extiterint.

Capitulum quintum, in quo ex illis tribus propoſitionibus infertur ab aduerſario, & generationis apoſtematis, & ſectionis uerus modus per quem apoſtematis augmentum nequaquam fiat.

h Is itaq; præmisſis propoſitionibus ſubdit, q; quum membrum aliquod phlegmone uexari incepit humores à magnis ad paruas eouſq; effunduntur uenas, quouſq; membri partes repleantur ac diſtendantur: Verum non ſtatim inter initia uniuerſa illorum portio in patiente membro colligitur: ſed quædam omnino in ipſum iam procumbit, quædam adhuc ei circũſtat, nullo ferè circũſcripta termino: Hæc autem tam libere uagãs facta uenæ ſectione promptisſime ad apertionis locũ nullo pacto ad arctam impactamq; inflammationis ſedem mouetur: Quæ quũ ita ſint, concludit fieri non poſſe, ut ex collateralis uenæ ſectione ad affectum locum conuertatur humor, atq; ex eo inflammatio augeatur: Siquidem qui phlegmonem aucturus erat inciſa uena alio transfertur. Hæc planè ſua eſt ratio, qua plurimum gloriatur, hic non mediocriter eleuat ſupercilium admonens. Hac nimirũ uia demoſtrationes contexi quæ robur, atq; à ſenſu baſim ſumunt.

Capitulum ſextum, in quo tacitam & quæ ei obiici poſſet rationem remouet.

v Erum quoniam inſtare adhuc me poſſe uidet, q; ſi minus fieri poteſt, ut de quo modo à nobis agebatur humor effluente ſanguine ad inflammatam partem, aut ei circumiacẽtia loca decurrat, id tamẽ poſt clauſam uenam, ſuppreſſumq; ſanguinis fluorem neceſſariũ eſt accidere: Eo nanq; tempore is humor uagãs inquietus ac prorſus in motu exiſtit: præterea omnino nondũ quieuit dolor, quo circa doloris ratione illius ita uagãtis materię, attractio haud difficulter fieri poſſet: Id ea ſanè ullo pacto hac de cauſa fieri poſſe negat: Nam ſi facta in humoribus agitatione occluſa uena id cõtingat, multo etiam magis facta in oppoſito brachio uenæ ſectione, ac multo certe facilius eueniet, hæc enim præter id q; illa humores magis ꝑturbat dolorẽ præterea minus ſedat, quo nõ ablato dubio procul priore peior noxa inſequitur, hoc pacto ipſæ impoſitũ ſibi laqueum ſe euadere, me uero proprio necti iactat nodo.

Capitulum

Capitulum ſeptimum, in quo illius quod dicebatur contrarium accidere, ſecta probare contendit.

MOnet præterea quidam ut medicæ me facultatis Alumnum meminiſſe uelim: atque medicorum libros diligẽter percurrere, ex his enim mihi perſpicuum euadet: quoties inanitio aliqua in corpore facta eſt, quòd exhauſtæ potius uenæ à membris trahunt, quàm hæ quum inanitæ fuerint ad membra tranſmittant, ea propter mea intereſſe inquit, me Galeni commentarium de ſani. tuen. perlegiſſe: Eo nanq; loco Gal. ulceroſam curare laſſitudinem docens. Iubet in primis uenam ſecari, deinceps(qui per hanc ſanguinis miſſionẽ corruptos ad penitiora ſuccos trahi cenſendum eſt) eam rurſus incidi præcipit, per quem Gal. inceſſum inſcitiam planè noſtram ſtudet arguere, nempè q; per ſanguinis eductionem inanitione facta uenas ad mẽbra tranſmittere: Minime ſequatur, ſed contra potius inanitas ipſas à membris ſugere, conſequi neceſſarium ſit, ueluti ex curandi ratione à Gal. adhibita liquido perſpici poteſt: Idem quoq; in pleuritide uſu euenire arbitrandum eſſe inquit, eiuſdem enim lateris ſecta uena maiores primum euacuantur uenæ, mox minores. Nec prius fluor deſinit, q̃ ad inflammationis locum inanitio perueniat quæ ſimul ac inanitæ fuerint, humorẽ à membrana potius trahunt, q̃ ab eis membrana aliquid ad eſſe alliciat, poſtremo tragediam ſuis annectendo dictis inquit, me tandem recantare animo neceſſarium eſſe, quod ſanè ex iis unum eſt, in quo ſibi morem gerere uoluit.

Capitulum octauum, in quo aduerſarius nonnullas Galeni contradictiones adducit.

AT quoniam præter adductas à nobis cõtra Gal. rationes eundem cõtradictiones nota ſugillauimus, ille(ut in cæteris omnibus non iure tantum, ſed & iniuria Gal. acerrimus eſt defenſor) in hoc certe affectum oẽm ſuperat, illius quoq; nomen ac dedecus tutari uelis, & equis(ut in prouerbio eſt)in hac præſertim re enititur, in primis itaq; quoniã à me dictum fuerat Hippo. primũ, mox Gal. eſſe præceptũ fluentibus humoribus retractionẽ deberi, ac quo magis ii fluũt, eo amplius reuellendũ eſſe

reuulſionem uero ad contraria longinqua fieri. Quam ob rem quum in principio cuiuſuis inflammationis per defluxum genitæ humores fluant, ex eorum utiq; ſententia in cuiuslibet phlegmones initio ad oppoſita, & longinqua retrahendum eſſe, at quum deinceps in coſtarum inflammatione Galenus ipſe ſecus ſenſerit, ac contra ab eo tradita præcepta proximam affecto loco uenam incidi iubeat, ob id inexcuſabiliter ſibi contradicere manifeſtum eſt. Nam ut recte inquiunt dialectici uniuerſalis affirmatiua particularisq; negatiua propoſitio de eiſdem terminis ſibi contradicunt.

Capitulum nonum, in quo pro ſolutione mirabile quoddam ponitur ſectæ fundamentum.

HAnc is ut ab eo ignominiam auferat oppoſitionem ac diſtantiam in collateralis cubiti uenæ ſectione omnino ſeruari contendit, quod ut ueritati conſentaneum eſſe perſuadere ualeat, mirum quoddam ab uniuerſa iam ſecta imaginatum ſupponit, id ipſumq; declarat: Nempe q manus tota ut brachium etiam cum ea intelligatur, quæ uis ea ſit, ſed nunc in exemplo dexteram capiamus. Dextera inquam manus dupli poteſt comparari modo. Nam ut ad totum corpus ſimul cum thorace confertur, aut non ad uniuerſum planè corpus, ſed ad ſibi tantum annexam thoracis partem comparatur: Quòd ſi primo quidem modo collatio fiat, utraq; tam manus quàm ei cohærens thoracis pars dextera nuncupabitur, ſin autem altero fiat modo, iam non quidem amplius dextera utraq; dicetur ſed manus ſanè dextera, thoracis autem pars ſiniſtri appellationem ſortiatur. Quam obrem hoc ita ſuppoſito illico ex eiuſdem cubiti ſecta uena diuerſionem, atq; eam quidem ad contraria fieri audacter admodum ac ſine rubore contendit, nam quum brachium ad coniunctā ſibi thoracis partem comparatum ei parti contrarium ſit, tanquā uidelicet dextrum ſiniſtro, ſi fluentibus ad thoracis dexteram partem humoribus ex dextro cubito ſanguis mittatur, retraxiſſe nos quidem tanq̄ in oppoſita diſtantiq; ſtatim conſtituti differentia iure merito dicemur, quòd ſi ad totum collatio fieret, neutiquam id uerum eſſe poſſet, ut itaq; Galeni nomen intactum ſeruetur, eo quo dictum eſt modo, manum, brachium ve ad ſibi cohærens thoracis latus cōferre oportet: ſic nanq; deinceps oppoſita diſtansq;

Quid ſi uno eodemq; temporis inſtanti Plato cōferret ad totam & Socrates, & thoracis partem cohærentem compararet, quonam igitur pacto res ſeſe haberet, ſic Profectò Plato nō reuelleret, ſed Socrates eum reuelleret, & ita relationibus aduenientibus ipſi ægro effectus contrarij reales accideret, uno eodēq; inſtanti, etiam ſi in nullo extremorum facta ſit mutatio realis, quæ puerilia ſunt, falſa, & à nullo ſani capitis admittenda, quæ tamen ſectæ ex opinionis falſitate contingunt.

diſtanſq́ꝫ quamprimum facta erit differentia. Atq́ꝫ hoc uir hic rationi maxime conſentaneum eſſe adeò pertinaciter contendit, ut ferè in uetuſtisſimis Annalibus aut Sybillinis codicibus id ab eis cõpertum eſſe credam (utcunq́ꝫ tamen hoc ſit) illis ſaltem p manus hoc traditum eſt, quo ueram inter dextrum & ſiniſtrum contrarietatem ſeruent, ut interim alias præterea oppoſitiones quibus abundare hi arbitrantur, nimirum ante retroq́ꝫ, ſupra atq́ꝫ infra quæ oppoſitio penes eos ſit, prout brachium attollitur aut deprimitur, at in cæteris in quibus ſeipſum redarguere diximus ſic illius oſtendit patrocinium dixeram nanq́ꝫ ipſum apertisſime ſibi repugnare quum pluribus in locis fluentes materias ad oppoſitas trahi iuſſerit differentias, in pleuritide tamen non per cõtrarias ſed per eaſdem id fieri uelit. Nã in tractatu de hirudinibus, & reuulſione auerſionem per oppoſita loca, adde & longinqua ualde, ut idem quarto & quinto methodi teſtatus eſt, fieri debere uoluit, ad hæc & xiii.methodi & ſecundo ad Glauco. in renum inflammatione cientia urinam damnat, in uentriculi inteſtinorumq́ꝫ affectibus ſoluentia medicamenta, in uteri uero phlegmone, ea quæ menſes prouocare poſſunt in principio penitus ableganda eſſe precipit, tanq̃ non ſit eo tempore circa eaſdem patientis loci differentias aliquid agendum ſed ad oppoſitas diſtanteſq́ꝫ ſolũmodo trahere expediat, cuius tamen contrarium oppoſitumq́ꝫ in pleuritide operatur.

Capitulum decimum, in quo aduerſarius dicit cur Galenus in pleuritidis principio reuulſionem non per oppoſita, & diſtantia ponit.

R Eſpondet non fuiſſe ob id Gal. à me contradictionis nota accuſandum, quum hunc nondum extricare facillimum ſit. Quam ob rem impie nimis nimiſq́ꝫ imprudenter cum eo actum mihi eſſe dicit, iuberet enim inquit Galenus per oppoſita longinqua've loca reuulſionem fieri ubi ſola retractio neceſſaria eſſet, nulli prorſus euacuationi aſſociata, uerum ubi euacuationis particeps reuulſio intenderetur, eam non ab oppoſitis diſtantibuſq́ꝫ membris, ſed à proximis potius eligeret, quũ itaq́ꝫ in coſtarũ inflammatione non ſimplex diuerſio, ſed euacuationi requiratur comiſta, merito per eaſdem non per oppoſitas loci differentias in ipſa trahi iubet per eaſdem autem loci differentias proximam partem non eandem affectum ſedem intelligere oportet, ex ea nanq́ꝫ

Hic doctor non memor eius eſt ꝙ ſuperius dixit cap.ii.huius ſummæ, quum negat has non dari ſimplices & extremas phlobotomias quæ uel tãtum euacuant, uel tantum reuellũt. Sed huiuſmodi erronea inuolutis in mendacio facile contingunt.

inter initia euacuare uelle, ut recte dicit Galenus periculoſum eſt, at ex propinqua maxime licet, per ipſam enim tum reuellitur tum euacuatur, id quod à nobis hoc tempore potisſimum intenditur. Quam ob rem unico ſuo illo uerbo ab ipſo pluries repetito meas omnes ruere rationes concludit. Tanquam fortaſſe pauidas, ac ſuis impotentes reſiſtere tonitruis.

Capitulum undecimum, in quo ponitur Galeni defenſio ꝙ in libro eius de ſanguinis misſione in uteri inflammatione in principio poplitem ſecet.

a Ddit & ultimo, ut minus exultare debeam, ſi meis partibus Galenus fauere uideatur, qui in libello de ſanguinis misſione poplitis uenam, alioqui menſes cientem in uuluæ inflammationis principio incidi iubet, quum tamen aliàs affecto utero, (ut ſupra dicebatur) omnibus quæ menſes ciere poſſunt, eo tempore interdicat, ac per patientia loca noxium humorem educere in uniuerſum caueat: Nam & ſi primo occurſu legentibus id uideatur uoluiſſe Galenus, non tamen ita res ſe habet: Quum nec ea quæ menſtruas purgationes cient admittat, nec poplitis etiam uenam tanquam eas promouentem ſecari uelit, non paruum enim in huius uenæ ſectione diſcrimen exiſtit, uno nimirum an alio modo ſanguinem ex ea mittas, ſi nanq; multus ex ea ſtatim hauriatur ſanguis, ob ipſam menſtrua cogentur erumpere, atq; ad uterum aliæ defluent materiæ, id quod inter initia fieri nequaquam debet, at ſi parca admodum fiat ſanguinis extractio, ea tunc non prouocationis, ſed euacuationis tantum munus obibit. Atque hoc pacto interdum in uuluæ inflammationis principio uenam in poplite Galenum incidi uoluiſſe aſſerit, quo fit, ut nullatenus ſibiipſi contradicat, ſed ſibi ſemper conſtet, idemq; in omnibus perpetuo ſentiat.

Capitulum duodecimum, in quo noſter curandi modus ab aduerſario, non omnino ſecundum Galenum reprobatur.

v Ltimo ad rei ipſius complementum ſubdit ob id eam quę ex oppoſito fit latere ſanguinis misſionem Hippocratem Galenumq;

Galenumq́ neglexiſſe. Quod ab anathome probè edocti, non qui dem eam prorſus inutilem eſſe, ſed parum tardeq́ iuuare cognouerint eiuſdem uero lateris uenæ ſectionem elegiſſe. Quod ab eadem uenarum ſectione perſuaſi citius eam ac cum minori ſanguinis extractione morbum tollere conſpexerint: Id quod in acuta ægritudine omnium maxime deſiderari nullus eſt qui neſciat: Quum facillime accidere posſit, ut ex mora in diſcrimen ægrotans deducatur, quapropter non iniuria ſanguine etiam oppleto corpore, nulla interpoſita mora ii eam uiri ſecandam eſſe uoluere, quum potisſimum reuulſio euacnatioq́ ex ea ſimul fiant, addit tamen eum qui ex oppoſito ſecare uenam incœperit, non peccaturum, modo cito, prompteq́ morbi cauſam extrahere posſit, uerum perplura id fruſtra fieri quod per pauciora (ut dicit philoſophus) æque bene fieri posſit.

Capitulum tertiumdecimum, in quo aduerſarius noſtris reſpondet experimentis.

a D hæc quoniam opinionem noſtram pluribus experimẽtis comprobauimus, ad ea omnia breuibus reſpondens inquit, qui particularibus euentis ueris poſthabitis methodis innititur, hunc planè claudũ atq́ altero crure defectuoſum progredi ut nono methodi dicit Galenus. Quam ob rem non eſſe ipſi omnino adhibendam fidem.

Capitulum quartumdecimum, in quo eius rationibus ſolutionibusq́ terminus imponitur.

h Ae itaq́ fuere rationes à quibuſdam Galeni ſectatoribus tanq̃ ad quarundam noſtrarum rationum diſſolutionem adductæ, quibus adamusſim recitatis, quanquam ex iam dictis quantum ponderent ſatis manifeſtum eſt: Quo tamen quàm leues imbecilles've ſint luce clarius omnes intelligant: Reliquum eſt, ut noſtris prius ſolidis poſitis fundamentis eas deinceps tollamus, ac ſigillatim infirmemus. Ne poſthac Galeni æmuli nobis plenisſime ſatisfeciſſe pasſim amplius prædicare audeant.

QVARTA SVMMA.

Capitulum primum, in quo naturæ & artis in largiendo inſtrumenta ſingula, ſingulis medici intentionibus correſpondentia: extollitur ſufficientia.

V ERVM enimuero quum ex uenarum diſſectione iſthæc omnia clariora fieri dixerint, qui nobis aduerſantur: Iccirco operepræcium me facturum arbitror, ſi ex ea enarrationis meæ exordium ſumpſerim, ſic nanq̧ & quantum huic ipſe negotio olim incubuerim intelligent: Et quantum illius notitia, noſtræ quidem opinioni ſuppetias ferat: Suæ uero prorſus aduerſetur apertisſime cognoſcent, doleo tamen magisq̧ hercle doluiſſem me ab eis fuiſſe accuſatum, q᷑ de uenarum ſectione uerba faciens, nihil de earum anathome meminerim: niſi quæ ad Lancialottum ſcripſi manifeſte contra eos reclamarent, in quibus contra Briſottum, eadem quæ ii obiicientem diſſerui.

Ad rem igitur accedens ſuisq̧ omnino monitis inhærens dico anathomem eam uere eſſe, quæ ad rectam congruamq̧ uenarum inciſionem nos perducit ſiue ſimpliciter mereq̧ reuellentem ſeu euacuantem duntaxat, aut utriuſque actus compotem uenæ ſectionem quæſiuerimus: Ad quæ omnia adamusſim exequenda natura parens, Et illius beneficia comes emulaq̧ ſemper ars ingenia ſingulis medentium intentionibus correſpondentia tribuerunt, niſi ſegnes deſidioſi ac deniq̧ chimerici illi extiterint, hæ nanq̧ aduerſus genus humanum, auaræ nimiumq̧ illiberales ſe oſtendiſſent, ſi minus, quum in medicorum mentibus ſimplex quędam acciderit intentio, reueraq̧ unius tantum fuerit indigentia, puta reuellendi, aut euacuandi tantummodo, eam ſimplicem intentionem exequens non elargite eſſent remedium, ueluti ex familiari quodam exemplo probare monſtrare licet: Præcepit enim ars in localibus remediis've in inflammationis initio repellere dũtaxat debeamus. Quod ſimplici quæ per uenæ ſectionem fit reuulſioni proportione reſpondet. In eius uero declinatione tota ſanè iam fluxa materia (repercutientibus penitus omisſis) ſolis utamur digerentibus, id quod non minus ad eiuſdem lateris phlobotomiam ſolummodo euacuantem proportionem habet: At in medio

medio horum tempore inter iſthæc uidelicet extrema conſtituti, ut tum repellere, tum per halitum debeamus digerere. Quod & pariter ad mediam ac miſtam uim habentem uenæ ſectionem quandam habet analogiam. Hæc nempe localia ingenia, quæ huiuſmodi ſimplices atque compoſitas perficerent intentiones, ſi minus dediſſet natura, dicant quæſo hi num de ea recte ſentirent? Huiuſmodi mehercle abſurda, atque adeò arti refragantia. His ita uenarum ſectiones confundentibus contingunt, atque ob nullam aliam planè cauſam niſi quod naturalibus rerum prætermiſsis fundamentis. Ad authorum uerba citatis pedibus rapide: nimis ſua properant ingenia. Atque eorum nulla uel leui facta (ut par eſt) trutina illis ſe ſtatim deuouent: Quod quidem conſilium in adipiſcendis doctrinis (mea ſententia) tam pernicioſum eſt, quàm quod maxime. Ea propter Platonem in Protagora recte dixiſſe comperimus, grauius multo in comperandis diſciplinis, quàm emendis cibis imminere periculum, hominum nanque ſermones cuiuis ii certe ſint, non pluris faciendi exiſtiman di've ſunt, quàm ut rationi conformes eſſe dignoſcantur, non ſecus ac de Hippocrate dicere Galenus conſueuit, id quod profectò, & à nobis pariter cum Galeno agendum eſt: Verum rem noſtram proſequentes ad anathomem tanquam ad ſemitam, quæ ad optatum nos perducit portum, nauim conuertamus.

Capitulum ſecundum, in quo nonnulla dogmata ueluti radices pro inflammationum curatione ponuntur.

V Erum de tam neceſſaria opportunaque re uerba facturis nobis in primis præ oculis id habendum eſſe cenſeo, cuius ſanè inaduertentia ad manifeſtisſimos errores præcipiti neſcio quo pacto Gallenicam ſectam deduxit: Apoſtema ſcilicet ipſum non ſpecificam ſed genericam nimirum obtinuiſſe naturã. Quam ob rem eum contrariis atque diuerſis differentiis neceſſario diſterminari. Hinc primas duas, ſi non indiuiduas ſubalternatas ſaltem ſubſtare ſpecies aperte uidemus: Quum aliqua non uero motu ſed per generationem efficiatur, quæ quum nulli per ſe atque proprie translationis addicta ſit motui nullam quoque per ſe reuulſionem requirit, aliqua uero alia congenita ſibi ſpecies eſt, quæ ad aliquod deſtinatum membrum humoribus decurrentibus

tibus tantum conſtituitur: Et huic reuulſionem potisſimum fore auxilium manibus tangimus, illud quoque ueluti plurimum neceſſarium non omittendum eſſe duxi: cuius recentiores arabum ſententias ſpeculati recte admodum nos monent: nimirum in morbis qui non à ſola qualitate, ſed ab humore ipſo gignuntur quos materiales uulgo appellant, præſertim uero in inflammationibus ipſis tria nos potisſimum conſiderare oportere: Eorum in primis eſſentiam, mox qualitatem, poſtremo motum per quem ex uno ad alium morbus ſe transfert terminum, ſed relicta qualitate, cui is planè quem intendimus non debetur motus. De materiæ eſſentia atq; illius motu locali à nobis ad præſens inſtitutus ſit ſermo. Quoniam autem dum de noſtra agebamus ratione ſuperius à nobis dictum eſt, tempus ipſius motus menſuram eſſe, de materiæ profectò eſſentia, de motuq; locali prout tempore menſuratur noſtra neceſſe eſt, ut ſit conſideratio. Ad quem planè etiam modum uenarum ſectiones conueniunt conſiderandæ. Quibus modo tantum reuellimus, modo tantũ euacuamus, aliquando uero & utrunq; agimus, prout uidelicet uel humoris motum tantum compeſcunt, aut ipſum in aliqua corporis parte iam firmatum euacuant, ac diuerſa diuerſis efficiunt temporibus. Quare iis omnibus in noſtrorum oculorum conſpectu perinde ac neceſſario fine expoſitis ad anathomes conſiderationem deinceps deſcendamus, in qua dubio procul Dei glorioſi Maeſtatem ineffabilem ipſius creatoris ſapientiam, naturæq; parentis ab eo cumulatisſime dotatæ, atque artis huius excellentis integritatẽ noſtris euigilatis ſenſibus perſpiciemus.

Capitulum tertium, in quo iuxta Galeni ſententiam anathome uenarum quæ thoracis apoſtemati ſeruiunt ponitur.

h Vmanum itaq; corpus diligenter contemplemur, quod omnium ſanè mortalium rerum metrum menſuraq; exiſtit, cuius ſupra cor à magna uena alioqui caua nuncupata duo uenarum coniugia diuerſa oriri cernimus. Quorum quod cordi proximus eſt: Axillare appellatur, quod uero ab eo longius inſurgit altiora petens loca humerale nuncupatur. Axillare itaq; in duas baſilicas uocatas, ſiue iecorarias diuiditur, quarum utraq; ad proprium ſibi contendit brachium: nimirum dextera

tera ad dextrum ad leuium uero ſiniſtra. Atque harum quælibet ſibi ſubiectam thoracis cuſtodit partem, nonnullis utrinque ab eis interdum (licet raro) procedentibus ramis per quos iiii. potisſimum ſuperiores coſtæ enutriantur. Nam à caua ſemper ferè, nonnunquam etiam ab ea, quæ ſine coniuge eſt, exoriuntur, reliquis octo inferioribus coſtis à quibuſdam aliis germinibus enutritis, quæ utraq; ex parte perpetuo ab ea prodeunt uena quæ ſine coniuge eſt, idem autem ut diximus tam dextræ q̃ ſiniſtræ accidit parti. Nulla prorſus in ipſis facta uariatione, quæ noſtrum euariat propoſitum. Quanuis earum nulla præciſe ad eas enutriendas coſtas proueniat, ut ſecundo de ro. uic. in acu. dicit Galenus quo fit, ut quælibet thoracis pars eiuſdem & non oppoſitæ cum ſuo brachio rationis ſit, ut ſi brachium dextrum ſit pars ſibi cohærens non ſiniſtra, ſed dextra quoq; ſit, & ita de ſiniſtro non minus ſuo dicitur modo, eſt ergo baſilica dextra reſpectu partis thoracis dextræ adeò proprie & communicantis rationis, ut non aliunde uires ac rem noxiam ab ea expellendi adeò conuenienter & directe ac (ita dixerim) per faciem anteriora've hoſtes eiiciendi poteſtatem ſummat, quàm ab ipſa baſilica: Nam licet ex ea quæ in oppoſito cubito uena eſt, id interdum fieri poſſe uideatur: illud tamen non eſt, tanquam per anterius domus hoſtium, ſed per poſticum potius, ac ueluti per poſteriorem clamidis partem retorquendo educere.

Nec in iis ſanè medicus aliud conſiderat quum illius munus non ſit partium diuiſionis, eatenus rationem habere, quatenus ad quantitatem ſeorſum abſtracteq; ſumptam ordinem ac relationem habent, uſq; adeò ut una alteri comperata diuerſam ex hoc ſumat denominationem, quandoquidem medicus ſolius abſtracte quantitatis diuiſionem perinde ac mathematicus non conſiderat, ea propter à Galeno dictum eſt, has ſectas baſilicas thoracis partes eis ſubditas ac proprias euacuare, id quod & de humerali coniugio non minus eſt clarum, ſicut enim axillares à partibus thoracis proprie immediateq; euacuant, ita & humeralium genus in duas diuiſum uenas quas cephalicas nuncupant ſtatim directeq; ab eminentioribus partibus ſanguinem exhaurit, puta à collo, facie, capite, dextrum uidelicet à dextris & leuium à ſiniſtris: quo naturæ inceſſu ita ſeſe habente, plura à nobis utiq; ueniunt conſideranda, primum quum nulla alia prorſus præter has duas baſilicas uena ſit, quæ circa thoracis partes ſecari ualeat,

Quumq;

Quumq́ natura in ſuis agendis operibus nec in ſuperfluis exuperet, nec in neceſſariis quicquam deficiat: Neceſſarium igitur eſt, quoties à thoracis partibus euacuare uoluerimus has duntaxat duas uenas incidere, quum nulla alia (ut dictum eſt) præter eas ſit, quæ uere euacuationis munere fungi poſſit: Ea propter illarum quælibet ad ſuam relatam partem mere euacuatiua exiſtit, quando ſcilicet oportunum ipſius tempus extiterit: (nam ex irregulari importunaq́ actione haud intentus minusq́ optatus, ſed contrarius planè ut plurimum ſuccedit exitus) Huius autem rei, ꝙ uidelicet eiuſdem lateris uenæ ſectio proprie ſimpliciterq́ euacuatiua ſit, naturalis ac omnino certa extat cauſa, nempè ꝙ tum uena, tum ea quæ ex ipſo oportuno tempore extrahi debet materia, eandem ſortiantur ſitus differentiam, quò fit ut uere ac duntaxat euacuatiua iure merito dici debeat. Hallucinantur enim mirum in modum ii qui in oppoſitis eas eſſe differentiis contendunt, quando eis ſenſus aperte reluctetur, cui tamen in omnibus iis adeò inniti ac ne punctum quidem ab eo recedere unq̃ profitentur: Quid ni igitur eos dicere pudeat dextram thoracis partem ſiniſtram eſſe? Si hoc ſenſui maxime refragatur: Vt interim pretercam, ſi id uerum ſit duas thoracis partes ſiniſtras, nullam uero dextram neceſſario baſilicam dexteram ex eorum dicendi modo habituram, id quod quicunq́ affirmare audeat, uel omnino riſu dignus eſt, uel ſaltem illius ſenſus indiget animaduerſione, quippe quum eis neglectis, quæ oculis ipſis probè conſpici poſſint, ad imaginarias abſtractasq́ diuiſiones confugiat. Quæ profecto omnium fatuitatum maxima eſt fatuitas, ut ſuo inferius monſtrabimus loco. At uena quæ oppoſito inſidet brachio: licet unius eiuſdemq́ ſit coniugii nihiloſecius, quum in contraria illi poſitionis differentia ſit, in qua inflammationem faciens humor colligitur. Ob id in primis proprieq́ reuellere, nequaquam primo euacuare apta eſt, quandoquidem ad diuerſam oppoſitam've differentiam omnino materiam trahat. Quò fit, ut ex rei ipſius natura reuulſionis ſimpliciter rationem obtineat: Non etiam euacuationis, uerum potius euacuandi ratio illi remotiſſime conuenit: Nam reuulſionis quidditas & ratio, ex loci interſtitio atq́ eiuſdem contrarietate inſurgit, perinde ac proprium euacuationis eſſe, ex eiuſdem conuenientia proximitateq́ conſtituitur, ꝙ ſi non reuellendi modo, uerum etiam euacuandi facultas ei utpote medie atq́ inter duo extrema

conſtitute ſit impartita. Euacuandi tamen ratio illi haud quidem primum, ſed ſecundo ferè ita dixerim ordine congruit, atq; nõ ex eius forma quæ totam cõplectitur eſſentiam id ipſi accidit, ſed ex aliqua potius materiæ cõditione ueluti ob coniugii cauſam, à quo ſiquidem coniugio, cum ea quæ proprie euacuat exoritur, hæc nãq; ab eiuſmodi trahens cõiugio conſequenterq; ab inflammata particula noxium ſuccum euocat, habent enim hæ duæ ſorores baſilicæ commune inter ſe quippiam, nam quæ uni cuidam tertio cõgruunt inter ſe quoq; cõuenire uidentur, qua ſanè de cauſa hę alterius uices agere ſine iniuria poteſt, in hunc tamen modum, ut reuulſionis primum, mox & euacuationis munus obeat, quum ut ab Ariſto. Cœli primo habetur ab uno dũtaxat primitus unum prodeat. Iure igitur medio quum in oppoſita ſit differentia, reuellendi primum officio fungitur, at quæ ei contraria eſt, euacuare in primis ac ſolũmodo poteſt propter eas quas ſupra abunde diximus cauſas. Verum ut res hæc de qua agimus manifeſtior euadat proprio iam dicamus exemplo: Igitur in dextri lateris inflammatione ſiniſtra ei oppoſita baſilica inciſa reuulſionis primum inde euacuationis munere fungitur, exit nanq; primo qui fluebat nondumq; ad affectum membrum repſerat ſanguis quippe qui ſectæ parti propinquior exiſtit, q̃ ſi diutius effluere permittatur non modo p eam qui etiam num in itinere eſt ſanguis, euacuabitur, ſed & qui iam in inflammationis locũ procubuerat, educetur: Id quod ob dictũ à nobis coniugiũ facillime eueniet, hoc profecto proportione iis reſpõdet, quæ de poplitis uena in uteri inflammatione inciſa ultimo loco aduerſarius quidam dicebat: quæ ſi parce inaniatur euacuatiua ſolum eſt, ſed ſi liberius diducta permittatur non eum modo locum inanire, quin & præter uotum ſuperfluum ad affectum membrum humorẽ trahere poterit. Eandem nanq; proportionẽ ſuperiora ad ſuperiores uenas habent, q̃ inferiora ad infernas ſicut deinceps uidebimus quo in loco tum Gal. duram ſententiam in libro de ſanguinis miſſ. & à nullo quippe ſano intellectu admittendã, tum & iſtius uiri minus audiendã interpretationem cõſpiciemus. Quod uero (ut ad noſtrum redeamus) oppoſita id quod diximus baſilica efficiat, fortaſſe id tunc uoluit Gal. quum dixit in coſtarũ inflammatione oppoſiti cubiti ſecta uena uel non iuuare, uel omnino poſt tempus, quã ob rem incidi eam haudquaq̃ debere, dixit tanquam in ipſa incidẽda tantum temporis interponatur ut maximum curationi afferatur detrimentum. Qua ſiquidem in re ipſe non parum deceptus eſt,

quum reuera his unica actione comprehenſis euacuationis tempus reuulſionis tempori illico ſuccedat, quinimmo utrorunq; unũ omnino ſit tẽpus, licet partes in eo exiſtentes in potentia ſint diuerſę. Nec ſanè de ſuccedenti immediate inſtanti, nunc mihi eſt ſermo, quoniam inſtans non eſt immediatum, quando nec tempus ex momentis, nec continuum ex punctis, nec motus ex mutatis componi poſſunt, ut phyſicorũ.vi.habitũ eſt. Quam ob rem reuulſione in ipſo A, facta, ſequitur euacuatio in B, tẽpore ipſi immediate A, ſubſequenti quę A, & B, partes unum integrum ſanè conſtituunt tempus puta horam, aut minus ea, atq; hoc pacto non in collaterali, ſed ei oppoſita baſilica illum ſupra commemoratum enitamus ſcopulũ quem Gallenica claſsis ſuperare non potuit, niſi ad abſtractam confugiat diſtinctionem, ſimul nanq; illi duo actus cũ eadem illius met uenæ ſectione exercentur, quapropter non in momento (ut ipſa putauit) ſed per diuerſas temporis partes id efficitur, q; ſi ita res ſe habet, ut in eodem continuo tempore per partes tamen in eo in potẽtia exiſtentes ii duo fiant actus, non igitur tantum intermittitur temporis ut curationi noxa afferatur ueluti ſuſpicari uiſus eſt Gal. huic hercle opinioni noſtræ cum ratio, tum ſenſui euidens teſtatur experimentum, ratio inq̃ quoniam is qui inflammationis cauſa eſt humor coniungi ratione educitur. Nam corruptus inde euacuatur ſanguis: Ea propter Auicenna Meſueq; concordes euſq; ſanguinem extrahi uoluere, donec mutatus ac niger effluxerit. Experimẽtum præterea ſuffragatur, quoniam infinitos proprie in hunc modũ nullo interuallo, nulla ſanè interpoſita mora curatos conſpeximus, quod nulla alia ex cauſa contingere prorſus potuit, niſi q; ea quę in affectũ locũ procubuerat materia, ſubrepta atq; inde fuerit amota cuius rei maximã facit fidẽ ſenſatum quoddam æneum uas aquam effundens de quo infra mentionẽ faciemus: qđ clare oſtendet hanc uenam eſſe propter extractionẽ humoris à longinquis partibus ſuſpectã morã, cũ uno eodemq; tẽpore diuerſio fiat, & à recipiẽti mẽbro cauſę remotio, ſi minus foris eductio: in hoc ego planè oẽm meã (ſi ea quicq̃ apud hos retinet authoritatis) perſtringo fidẽ, multos me hac curandi ratione ſanitati reſtituiſſe, atq; adeò quidem breui temporis ſpacio, ut nulla deinceps prorſus euacuãte eis opus fuerit uenæ ſectione, cuius rei etiã ipſi ſibi cõſcii ac locupletiſsimi teſtes eſſe poſſunt: Nã eam (animo ſaltem) licet fortaſſe ore abnegent, inficias eos ituros nõ crediderim: quũ ipſos pluries ac pluries id uidiſſe nõ ignorem cõtra uero plurimos conſpeximus, qui ſuo adhibito

curationis conſilio, omnes aut ſtatim interiere, aut in diutinos ſunt detruſi morbos: Id quod ne longius petantur exempla in anaxione, cui eiuſdem lateris ſecta fuit uena Hippocrati accidit, quòd in illius curationis tractatione reuulſio omiſſa fuerit, quæ curatiui operis fundamentum planè exiſtit.

Capitulum quartum, in quo ad prædicta Epilogatur.

h Actenus ergo id ſumus aſſecuti, ꝙ coſtas inflammatione infeſtante eiuſdē affecti lateris baſilica proprie directeꝗ euacuat: Et nullum aliud præter hoc munus obire poteſt, quò fit, ut quum congruo ſecatur tempore ſimpliciter euacuatiua ſit, omnis prorſus reuulſionis expers, quandoquidem iſthæc ipſa loci diſtantia atꝗ cōtrarietate careat: Habuimus præterea oppoſitam baſilicam oportuno ſimpliciter ſectā tempore quum uidelicet tum ad inflammatā ſedem humoris plurimū iam fluxerit, tū illius adhuc multo præſto eſt, ut fluat, utriuſꝗ actus planè rationē habere: nimirū reuulſionis, & euacuationis, reuulſio quippè, & in primis propter contrarietatem atꝗ in ea loci repertam diſtantiā, euacuationis uero ac deinceps propter toties iā dicti cōiugii cauſam.

Capitulum quintum, in quo docetur quibus uenis, quibus've temporibus ſanguinis miſſio congrue aptetur.

r Eliquum modo eſt, ut quando nam in inflāmatione uenarū ſectio rectè adminiſtretur, perſcrutemur: nā ſimul ac earū congruum tempus cognouerimus: ſtatim & quo pacto in coſtarū inflammatione phlobotomias adminiſtrare oporteat, manifeſtū eſt. Id quod licet ex iis quę à nobis ſuperius dicta ſunt, ſatis cuiuis perſpicuū eſſe poſſit, fiet, tamen quoad à nobis poterit clarius adhuc & manifeſtius, igitur quæ in affecto latere baſilica eſt ab ea enim exordiar quum euacuationis duntaxat officio eam fungi dictum ſupra ſatisꝗ probatum ſit, euacuandi uero tantummodo nō niſi eo tempore inſurgat intentio quo tota iam phlegmonem obſedit materia, iure merito tunc ſecari debet, quum uniuerſa inflāmato loco collecta fuerit materia. At quum ea niſi poſtꝙ à fluctionis motu deſtiterit in illo tota contineri haudquaꝙ poſſit, ea utiꝗ non in medio motus tempore: neꝗ inter initia, ſed duntaxat in fine congrua ſanè oportunaꝗ fuerit, uenā quæ in brachio oppoſito ſita

eſt interna uena. Alio mehercle ſe habet pacto, namquum ea tum reuellendi, tum euacuandi facultatem habeat, reuulſio uero euacuationi coniuncta maxime fluxis, ſimul & maxime fluentibus adhuc adhibeatur humoribus, fluant autem etiam num plurimumq; non niſi in medio motus tempore fluxerint humores. In medio itaq; eo tempore, quod materierum motus dimidium exiſtit, non in eius principio fine've tantummodo conueniet, in fine inquam minime quum duntaxat medicus tunc euacuare intendat, ſed nec quidem in principio, quum in eo ut antea à nobis explicatum eſt, ſola reuellendi debeatur intentio. Hæc non ſolum non ſimpliciter diuertit aut ſimpliciter euacuat: ſed ex iis ambobus miſtum operatur. Quam ob rem duæ hæ uenæ & in medio humorum motus atq; in fine ſolum ſunt incidendæ: Nimirum in motus complemento, quæ laboranti proxima eſt parti: in illius uero medio, quæ in altero oppoſito brachio poſita eſt. At mehercle earum neutra ob iam adductas rationes morbi principio nullo pacto probe conuenire poteſt, quod quum ita ſit, aliam itaq; uenam inuenire neceſſarium eſt, quæ in motus initio incidi poſſit, ea autem nobis preſto erit, ſi quam in corpore adinuenerimus, quæ ſimplicem intentionem in principio ſurgentem complere ualeat, igitur ſimplex iſthæc intentio, quum nullius alterius rei ſit præterquam reuellendi (nam duntaxat eo tempore humores fluunt, nullaq; eorum aut minima adeò iam fluxit portio, ut præ illius tenuitate à medico negligatur) ſi quæpiam aſſignari à nobis poterit uena, quæ ſolum ſimpliciterq; reuellat: Nihil autem euacuet, uel quid ex iis miſtum perficiat, illa profecto erit, quæ inter initia ſecari debet: Quænam igitur ea eſt? ſanè illis ſuperioribus excluſis nulla alia reliqua eſt, præter eam quæ in pedis eſt talo, ſaphenam eam nominant, Hæc medius fidius, ſimplicem hunc reuulſionis actum ſola perfecte complet, ſolaq; tunc uigenti intentioni adequatur: Hæc perbelle tantummodo diuertit, nam & eas conditiones probè nacta eſt, quas ſimplex exigit reuulſio, magna etenim nobiliſq; eſt uena uniuerſum reſpiciens omnium à patiente loco maxime longinqua, eiq; ſumme oppoſita, ac prorſus illi nullo coniugii coniuncta uinculo ea deniq; totius operis certiſſimũ ſtabileq; eſt fundamentũ, quò fit, ut hæc ſola uerè recteq; in huiuſmodi morbo reuulſionis fungatur munere, ob idq; rectè, legitimeq; atq; conſulto omnem curationis actionem tanq̃ fundamentum præcedere debet, cuius

rei

rei nullus tam inops mentis eſt qui ambigat. Adde q̄ quum uniuerſum reſpiciat corpus ipſum planè totum euacuat, quod quidem in arte non ignobile eſt præceptum: Particulariter enim (ut in ſuperioribus diximus) membrum ſanare non licet, niſi totius corporis permittatur euacuatio, atque curatio. Quam ob rem iſthæc quæ remotisſima eſt apud recte ſentientes in inflammationis principio, quum ſcilicet ad affectum locum fluere incipiunt humores incidenda eſt: Eaq́ potisſimum quum uniuerſum ſanguine refertum corpus ad inflammatam particulam undique tranſmiſerit, minime autem proxima tangenda eſt, poſt hanc ſi ad inflammationis augmentum procedat materia oppoſiti brachii uenam ſecare oportet: Poſtremo eam quæ affecto dolentiq́ loco proxima eſt, cuius oppoſitum ſecta intrepide omnino operatur: In incidendis ergo in pleuritide uenis talis ſeruetur ordo, Saphena in principio incidatur, mox ſi minus ſublatus per eam fuerit morbus, ſed incrementum capiat, ea quæ in oppoſito brachio eſt, ſecetur. Quòd ſi nec ob hanc affectio cedat, prohiberiq́ haudquaquam posſit, quominus in loco colligatur materia. Vltimo eiuſdem affecti lateris uenæ fiat inciſio: atq́ hic profecto eſt extremus phlobotomarum terminus, uerum ſi nec hoc inſtrumenti genus ſanitatem inducere ſatis adhuc fuerit, quando penitus ſuo ſit functum munere: huic fœcunda ars alio prouidit ingenio: nempè cucurbitula ipſa, quam nullo equidem pacto phlobotomiam appellare licet, quanuis ipſam nonnulli (perperam tamen) ut argumenti noſtri uires ſubterfugerent, ita nuncuparint, quod falſum eſſe uel ex eo coniectari (cuiuis) facillimum eſt, quod aliquantiſper mutatis terminis, ſi ea uenæ ſectionum poſtrema ſit, perinde ac de baſilica accidit: Idem planè de cucurbitula ſequi neceſſarium ſit, non ſecus enim hæc atq́ illa in principio damnatur. quam ob rem cucurbitula omnes quum uniuerſa collecta eſt materia, ubi reliqua non iuuerint ingenia unanimes utendum eſſe cenſent: q̄ ſi ita eſſet (ut inquiunt) inter initia quoq́ patienti ipſam affigere, loco non eſſet inconueniens, quum potisſimum & reuellat, & euacuet: nimirum ab intus extra, ut nobis etiam illorum nugis interdum uti liceat. Verum iis tanq̄ triuialibus poſthabitis contemplari expedit, quàm elegans nobis uenæ ſectionum reſultet ordo naturæ, Medicisq́ regulis conſentaneus, tutus atque omni prorſus periculo uacans. Hic planè non ex libito uoluntate' ve aut imaginatione pendet

noſtra, ſed uerum materiæ motum ac quietem illiusq́ tempora non ſecus ac proprias rectæ uenæ ſectiones radices neceſſario inſequitur. Quam ob rem quum Galenus eiuſq́ aſſeclæ à morbi dolore deluſi atq́ perterriti ad hæc ſolida fundamenta animum nõ uerterint, ſecusq́ imaginati ſint non omnino culpa uacare uidẽtur; Præſertim quum propriæ imaginationi fidem adhibere nõ modicum ſit inconueniens, quando eſſe minime ſequitur imaginari: ſed contrà potius ut Phyſicorum. iii. monet philoſophus.

Capitulum ſextum, in quo opinio quæ dicit inter initia ab eodem latere ſanguinem mittendum eſſe modo aliqua reuulſio præceſſerit, reprobatur.

a Pparet præterea ex iis non minus quantum hallucinati ſint qui nuperrime ſpeculationem hanc tractarunt, quippe qui uenæ ſectionem ex eodem inter initia factam latere, ea lege commendent, dummodò reuulſio omnino præceſſerit. Quum & ii à ueris per nos iactis fundamentis atq́ artis uiſceribus penitus deuient, uideat ergo ſecta q̃ rectè noſtrum hoc placitum ab anathome exoriatur.

Capitulum ſeptimum, in quo ex anathome illud Hippocratis examinatur dictum quòd ſuperioribus inflammatis coſtis ſanguis mittendus, ſed infernis non, ſed pharmaco ſoluendum ſit.

a D hæc ex iis quæ probè antea diximus nonnulla adhuc nobis inſurgunt, quæ non leui indigent examine, inter quæ illud ſeſe nobis offert. In primis nempè, qua ratione dixerit Hippocrates, ſi dolor ad iugulum mammamq́ extendatur, ac ſuperiores obſideat coſtas, interiorem eiuſdem cubiti uenam ſecandam eſſe, uerum ſi inferiores infeſtet medicamentum potius quàm ſanguinis miſſionem eligi debere. Durus enim planè hic ſermo nobis apparet. Potisſimum ſi iuxta Galeni, & Auicennæ ſenſum recipiatur. Hanc ego rem quanquam (ni fallor) in iis quæ ad Stanghelinum præclarum uirum nuper ſcripſi probè declaraui, poteſtq́ ibi fuſius explicatiusq́ ea uideri, unũ tamen in præſentia. Quod ad rem maxime pertinet, minime prætereundum eſſe arbitror: nimirum q́ loci ratione uenarum

ſectionem

ſectionem eligere accidentale leueq; admodum uidetur, quum non hunc, ſed peccantis potius humoris naturam uenæ ſectio conſequatur, in ſuperioribus enim coſtis eiuſmodi coaceruari humor poteſt, qui longe minus ac quicunq; alius in decliuioribus collectus ſanguinis misſionem expoſtulet: Ea propter Galenus huic occurrens ſententiæ, atq; eam ueluti leniens utpote cui ſatis aſpera uideretur, tunc à purgante medicamento abſtinendum eſſe monuit, quum inflammationi maxima caliditas, uehementisſimaq; febris coniuncta fuerit, quinimmo eo caſu potius per uenæ ſectionem euacuandum eſſe conſuluit, etiam ſi ad Hippochondrium dolor finiatur, cui ſententiæ Arabum Princeps Auicenna, (& ſi cautius aliquanto fuerit locutus) conſentire uiſus eſt, quum dixit, uere ex Hippocratis dogmate deſcendente ad ſeptum dolore, exhiberi purgans medicamentum debere, cæterum addit, ſi minus id ipſum iuuerit, eo caſu ſecandam fore uenam, id quod forte quidem ab ipſo additum eſt, propter eam quam alibi dixi cauſam, quanuis nec eius dictum uſquequaq; mea ſententia probandum ſit, repugnat enim primum Galeno quando ſecundo de rat. uic. in acu. inquit, q; indicantibus phlobotomia & pharmaco, inchoandum à phlobotomia potius quàm à medicamento propter eas quas ibi asſignat cauſas. At q; plus, ſibi etiam met ipſi aduerſari uidetur. iii. nanque canonis prima ibi quum materiam euacuare uoluerimus &c. ſanguine plurimum cũ aliis exuberante humoribus primo uenam ſecandam eſſe uoluit. At ſi contra potius alii humores ſanguini dominentur, ii prius pharmaco ipſo (me authore) potius in primis educendi ſunt, deinde ſanguis mittendus eſt. Poteſt ergo ſic ſe habere humorum in parte illa infima coſtarum collectio ut aliis ſanguis dominari uideatur. Quam ob rem non erit à pharmaco inchoandum: uidetur ergo Auicenna, rem potius manibus & cecutiens quàm oculis petere: Atq; in hoc pluris ſe feciſſe Hippocratem oſtendit, quàm ueritatem ipſam. Amplius non minus Galenus aliqua indiget animaduerſione, nam perinde ac locum ipſum tanquam eſſentiale quoddam uenæ ſectio nequaquam ſibi limitat, ita nec caliditatem ac febris uehementiam, aut frigiditatem, ſed ſanguinis duntaxat dominium ſibi præſcribit. Quam ob rem ſuperioribus coſtis phlegmone infeſtatis: non ob id q; huiuſmodi ſit morbi locus, aut q; humor calidus exiſtat, eo loci ſecare uenam expedit, humor enim tam excellenti atq; ardenti calidi-

Contra Auicennã

tate

tate redundare poteſt, ut ſi ſanguinis misſionem tentemus ipſe illico in corpore effrenitet, ac ægrotantem mox interficiat, cuiuſmodi euentus exemplum in primo adduximus libello: Atqui nec diſtantia maior minor've phlobotomiæ occaſionem tollit, dũ in eadem fuerit morbus ſitus differentia ſanguisꝗ inter humores dominium ſibi præſertim uendicet: Huius autem rei euidens ratio in promptu eſt: Præcipit enim Hippocrates Axillarem incidi uenam: ſiquidem quatuor ſuperiores coſtæ inflammatione laborauerint, idem iocinore inflammato mandat fieri, undeꝗ ab ipſo euacuet) eam pleriꝗ iecorariam uocant: Quid ni igitur & in media regione (qui inferiorum coſtarum locus eſt) itidem fieri iubet? ob hanc itaꝗ rationem Hippocratis placitum omnino ſuſpitione non uacat: Hic nouisſimi doctoris elegantis quippe ingenii Andreæ Vveſalii huius Hippocratis dicti explanationem prorſus non reprobo. Nempè ꝙ de infimarum coſtarum dolore inflammatione've ab Hippocrate minime ſit intellectum, ſed membrorum potius quæ ſub ſepto tranſuerſo in inferiori uidelicet uentre reſident: nam quum in his membris collectus humor inteſtinorumꝗ regioni proximus ſit, facilius per aſſumptum medicamentum quàm per uenæ ſectionem ab affecta ſede educitur: ſed iſtud difficultatem facit, quod uix adduci poſſum, ut credam huius rei Hippocratem à Principe Auicenna inſimulatum fuiſſe: Quò magis & Galenum admiror: Quo pacto eodem ferè cum Hippocrate natus idiomate eodem altus educatusꝗ illiusꝗ elocutionis maxime omniũ gnarus ac in eius libris, ſi quiſquam alius: Præterea & ipſe apprimè uerſatus in re præſertim tam manifeſta hallucinatus eſt, nam quo ridiculè magis ſugillari Galenus poteſt, quàm ſi huius dictionis SVB. ignorantiæ redarguatur, quid? non ne ſi cuiuis etiam literarum imperito dolorem dicas, quæ ſub ſepto tranſuerſo ſunt partes infeſtare, eas ſtatim non quæ ſupra, aut circa, ſed infra ipſum ſeptum ſunt partes dolere intelliget. Quam ob rem ſi illud Hippocratis placitum fuiſſet, non ſatis ueriſimile uidetur id eos uiros latuiſſe. Quod lippis eſt notisſimum, adde ꝙ perperam inter ſuperiores inferioresꝗ coſtas ac Hippocrate facta eſſet comparatio: fuiſſetꝗ ſanè ei perſimilis, quod in rudi illo carmine cõtinetur, Vnus erat Laicus alter Paduanus.

Taceo quantum manca defectuoſaꝗ huius uiri doctrina fuiſſet, quippè quæ ſuperiorum coſtarum inflammationis remedia

docens

docens, inferiorum curationem omiſiſſet, præſertim quum apud nonnullos in dubium reuocetur, unde nam huius doloris curationis diuerſitas exoriatur, nam aliqui ex uaria humoris natura id accidere arbitrantur: Quidam ob id fieri contendunt, q̃ inferiores coſtæ nequaquam cum ſuperis conueniant, utpote q̃ non ab uno eodemq; loco utræq; ſuum capiat alimentum, manifeſtum enim eſt ſuperiores coſtas à ramis, aut ſtatim ex baſilica, aut pauloante ipſam ex caua ortis enutriri, inferiores uero ab ea quę ſine coniuge eſt uena, ſiue hæc ſupra cor immediate à caua procedat, inferius mox per ſpinam deflexa ſiue prius ab ea emergat, quam dexteram cordis aurem uena magna ingrediatur. Nam utrunq; opinor accidere poſſe, quando præſertim humanum corpus non ita adamusſim fabrefactum eſſe exiſtimo, ut ſi minus horum alterum ſemper euenerit, ob id ipſum omnino corrumpi ſit neceſſarium, utcunq; tamen res hæc ſe habet, nihil mihi ad præſens eſt curæ, ueritati enim atq; huic doctori in anathome celebratisſimo me remitto, illud ego ſaltem auſim affirmare, ſiue in ſuperioribus ſiue in inferioribus coſtis inflammationem faciens collectus humor fuerit, modo ſanguinis naturæ non ſit expers tempusq; ſit illi ſectioni congruum: eiuſdem lateris baſilicæ diductionem oportunam fore. Nihilq; me iudice prorſus intereſſe, an omnes ab ea uena, quæ q̃ ſine pari ſit. Azigon nominant: Enutriantur ſiue inferiores duntaxat ab ea alimentum capiant: quum nullum penes me quod ad uenæ ſectionem attinet inter eas cadat diſcrimen, quod qui ſecus exiſtimauerit modum nobis asſignet, quo pacto per uenæ axillaris apertionem ſupernæ coſtæ inaniantur: Illum enim eundem in inferioribus ex ipſa met axillari ipſe ei asſignabo quum neutrobiq; illa coſtas pertingat. Nec ſanè mihi obiiciatur. Quòd religioſe minus aduerſus Hippocratem, Galenum, Auicennamq; huius artis parentes optimos me habeam: Reſpondebo nanq; ueluti Plato in ſuo de Repub. inquit commentario, laborante Patre, & Patria: Patriæ magis ſuccurrendum eſſe q̃ patri, laborabit autem non una tantum patria, ſed uniuerſa hominum ſinodus, ſiquidem ueritas à falſo ſuppeditetur. Veneror ego non parum, ac religioſè eorum colo nomina ubi ueritati conſentanea illorum ſint dicta, atq; uniuerſo humano generi boni conſulant: At ubi ſecus ſit, meam religionem, meamq; pietatem ad publicum uſum penitus conuerto, ſed de hac re deq; iſto nenarum coniugio ſatis dictum ſit:

ſit: Quod ad thoracem ſeu uentrem ſpectat medium: in tres enim uentres humanum corpus diuiditur, ſicut ex Galeno didicimus.

Capitulum octauum, in quo de uenarum ſectione, quæ ad primum pertinet uentrem agitur.

Eliquum modo eſt, ut de ſecandis uenis negotium quod ad alios ſpectat uentres abſoluamus. Nam & ſi de medio præpoſtere, nulloq; ſeruato ordine, & cumulatiſſime quidem à nobis dictum eſt: Non ab re tamen id fecimus, quando quidem ab eo exordium ſumere fuimus coacti, ob uehementem adeò de membranæ coſtas ſuccingentis inflammatione hac tempeſtate excitum rumorem, qui licet pluribus in annis, multisq; ſeculis proſtratus obrutusq; antea iacuiſſet, in hominum tamen pernitiem infinitis propè aliis comitatus malis (Proh dolor) ad nos rediit.

Reſtat igitur de ſuperiori, inferioriq; nimirum quo pacto in eis uenas ſecare oporteat, examinandum, non enim huic examini tam breuem præmiſimus orbem: ut de medio tantum uentre à nobis uerba ſint facienda, uerum de ſuperiori agendum eſt prius AD ANATHOMES itaq; penitiora redeuntes adhuc dicimus: Quod poſt axillare ſupra iugulum emergit, aliud uenarum coniugium humerale nuncupatum in uenarum ſectione, eodem ſeſe propemodum habere pacto, quo in axillari diximus: Nam & hoc in duas quippè partitur uenas. Quarum altera ad dextrum altera ad ſiniſtrum deflectit latus (cephalicas has ambas nuncupant) hæ inquam non minus proprie ſunt ſuperiori uentri, quàm baſilicę medio, nam ex iis quæ opoſito inſedet brachio, & reuellit, & euacuat, eo quo in illis diximus modo: ſi enim capitis, aut colli parti dextræ affecto aliqua euenerit, ab hac ſiniſtra humeraria fluentem humorem retrahit, uerum non ſimpliciter, ſed duntaxat ſecundum quid (media quum ſit) longius enim quæ ſolum ſimpliciterq; reuellat, perquirenda eſt uena: Altera uero euacuationis tantum fungitur munere (in eadē differentia quum ſit) ea uidelicet quæ eiuſdem eſt lateris cephalica, quæ euacuatiua deriuatiuaq; exiſtit, nam iſthæc duo nihil prorſus aut parum ad me inter ſe differunt, niſi ut proximum & remotum, uel ut magis & minus proximum: quanuis litigium in hoc mihi parare nolim; minime uero reuellit: quum in eadem

dem prorſus ſit poſitionis differentia,contra autē ſiniſtra humeraria, tum reuellere tum euacuare poteſt, uerum reuellere quidem per ſe contrarietatis ratione cæterꝫ ſecundo loco euacuare cōiugii nempe cauſa ſiquidem continetur atq; in longius temporis ſpacium protrahatur uenæ apertio, & quod ſanè in dexteræ partis capitis affectione dictum eſt, id non minus ſiniſtra laborante intelligendum eſt, dexteram uidelicet à regione exiſtentem uenam reuellere in primis. Mox continuata apertione pluſculum euacuare, ſiniſtram uero deriuationis aut euacuationis fungi duntaxat officio.

Capitulum nonum, in quo in ſuperiori etiam uentre triplex phlobotomiarum ponitur ordo in apoſtematis curatione licet Hippocrates non expreſſerit.

a T hic ſectam aduerſus me ſupercilium attollentem cerno, nam & is ſermo non minus Hippocrati contradicit, ſiquidem ipſe in angina non remotius quàm à cephalica uenam ſecare docet, icirco inquiet, quum igitur tu in huiuſmodi morbo eminus magis ſanguinem mitti debere contendas? Ei manifeſte in hoc etiam refragaris? quo fit, ut à medicorum cetu repelli mereare: Verum ego ad ueritatis præſidium de more confugiens propriam cauſam tuebor, reſpondeboq; non iniuria ſimul ac repletum corpus aliquod angina laborare cœperit, ad eas quæ in pedis talo ſunt incidendas uenas confeſtim properandum eſſe, quando ad id ea nos deuinciunt præcepta quorum minime oportet, quæ non ſecus ac lex Iulia nunc ſomno preſſa, priuſquam magno inceſſabiliq; noſtro clamore experrecta forent, profunde admodum dormiebant, ea autem ſunt, ut rurſus etiam à nobis dictum eſt, quod nullum antea ſanare membrum licet quàm ut totum corpus recte ualeat, efficiatur. Quod in phlegmonis initio fluentibus humoribus nil aliud debeatur, quàm retractio, quando quidem nulla eo tempore præterquam reuellendi inſurgit intentio quum nondum in inflammationis ſede tantum ſanguinis ſit collectum, quod aliquo pacto ualeat efficere ut de eo medicus ſit ſollicitus, ſed totus adhuc propemodum fluxuræ materiæ aceruus in remotioribus partibus contineatur, à quo duntaxat uniuerſus apud recte

ſentientes impendet metus ac uitæ maximum imminet diſpen-dium, unde euenit, ut quum nullam forte in ſuperiorum partium inflammationibus uenam reperire liceat, quæ uniuerſum corpus inaniat ac ſine ulla collecti humoris euacuatione reuellat ſaphe-na excepta, ea iure merito ſit à cuius apertione in angine nau-fragio nulla interpoſita mora ſit inchoandum, dicant patres qui de hoc morbi genere pleuritideq; monumentis teſtatum præcipue reliquerunt, quicquid uelint, nam (illorum pace dixerim) ipſi ſcopum (me iudice) nõ attigerunt, quod ne gratis dicere uidear breuem hanc aduerſus eos formo rationem.

In Angine principio pernitioſa lætaliſq; omnino ea uenæ ſe-ctio eſt, quæ ab inflammato, ſolum euacuat loco, utputa quæ ſub lingua efficitur. Ergo oppoſitorum oppoſitæ ſint rationes, cauſæ, actiones, proprietates'ue, ſaluberrimum uitaleq; præſi-dium ſaphenæ ſectio erit; quippe quæ illi uerè extremeq; oppo-nitur, igitur in angine principio ſaphenam incidere oportet: Hæc ſanè ratio itidem in pleuritide faciendum eſſe conuincit, præſertim quum nihil obſtet, quin idem ne dicam maius ex ip-ſa coſtarum inflammatione quàm in gutturis phlegmone iuua-mentum conſequatur. Quam ob rem tum in Angine tum in pleuritidis principio ſalutare auxilium erit iſthæc ſaphenæ ſe-ctio, toties à ſecta blaſphemata, quòd ſi fortaſſe alicui cordis ebullitio non ita facile deferueat, ab inflammatiſq; faucibus di-ductam hanc uenam reuellere poſſe pertinaciter negare audeat illico tres aduerſus eum adducam teſtes, rationem nimirum au-thoritatem, & experimentum rationem in primis. Nam phre-nitie inchoante ſecta hæc uena iuuat, ſi itaq; in diſtantem par-tem poteſt cur non in propinquiorem? At & eum Auicennæ au thoritas retundit, ubi quum birſen (pleuritidem nanq; ita uo-cant Arabes) in ſirſen, id eſt cerebri membranarum inflamma-tionem tranſit, huius uenæ laudat apertionem: Experimenta poſtremo tota ipſi refragantur diametro, ita nanq; quotidie a-gentes fœlicisſimos euentus perpetuo ſortiri conſpicimus, an nõ à chriſtiana redemptione, Milleſimo quingenteſimo uigeſimo o-ctauo innumeri penè homines huiuſmodi correpti fuere morbo? Ex iis autem quibus noſter adhibitus fuit curationis modus, o-mnes per D E O S Immortales integram ualetudinem ſunt aſ-ſecuti, uerum qui ſecus tractati ſunt, ſi minus omnes, Nam for-taſſe aut bono quopiam fato, aut Dei miraculo aliquis euaſit.

Pleriq;

Plerique tamen eorum ac penè omnes interiere.

Cap.X.quo modernorum ſoluitur dubitatio cur
uena inter pollicem & indicem ſciſſa
primo conferat uentri.

Iſa modo uenarũ ſuperiorum ſerie; nimirum quo pacto u incidi debeant, quo ue tẽpore, nobis opido luce clarius unum apparet, in quo qui nos proxime prȩterieruut, non parum inter ſe ſunt digladiati, ambigentes, quam ob cauſam uenæ ſectio, quæ inter pollicem & indicem exiſtit, ſuperioribus opituletur partibus, ut colli, faciei, capitis ue affectibus, præſertim quum nec humeraria, nec ipſius (ut illi inquiunt) pars aliqua ſit, ſed communis uocatȩ uenæ duntaxat ramus exiſtat: Experimento compertum eſſe, illam ad ea omnia, ad quȩ cephalica prodeſt conferre intelligentes, id cuipiam illius cum capite rectitudini adſcripſere: At hunc uenarum inceſſum dignoſcentibus, & earum diſſectionis probè peritis, huiuſmodi profecto non contingit dubitatio, in apertoq; eis eſt, quàm erronea ſit hȩc ſolutio. Perperam nanquè ſupponit, communem uocatam hanc uenam à caua oriri, ueluti axillare, humeraleq; coiugium, quaſi ab illis hæc quippiam ſit diſtinctum. Quod ſane abſurdum eſt: Humerali nanq; atquè axillari per brachiũ protenſis, ac tandem inuicem coeuntibus, iſthæc in proceſſu conficitur uena, a qua deinde ex utroque latere prodeuntes rami, totam perreptant manũ ex iis qui interiori parti baſilicȩ ſimiliter adiacẽt, baſilicȩ minores nuncupantur. Nominãt autem & inſigniorem inter hos ramos nonnulli, ſaluatellam, quȩ ad minimum percurrens digitum, maioris baſilicæ ſȩpenumero uices gerit. Eapropter Auicenna pluribus in locis, tum maxime capitulo de lienis affectibus, maiores & minores baſilicas citat. At qui per exteriorem ſimiliter regionẽ decurrunt rami, ac per cephalicæ latus procedunt, cephalicȩ minores appellandȩ ſunt: Quamobrem clare liquet, quo nam pacto, ei non minus ad quod cehpalica cõfert, hȩ quoq; ut maiorum coadiutrices ꝓdeſſe poſſint, nec tamẽ id efficere ualẽt, ob id ꝙ cõmunis uenȩ aliquid ſint, directẽ ue caput aſpiciant.

f Cap.

ſermonem habeat,inquiens quod inopportuna ſanguinis retentio, quæ ipſi ano per hemoroides conuenit,duplici curari poteſt modo,reuulſu primum,eam uidelicet perpetuam conſuetudinem extirpando, Alia vero uia,mera prouocatione per ſaphenæ , aut poplitis uenæ ſectionem, quo poſt hac opportunioribus adhuc temporibus reuerſione fluere queat. Sed illa quæ uteri iniuſta fortaſſis fuerit ſuppreſſio,una tantum uia curandam eſſe aſſerit. Huiusq; tantę rei cauſam adducit. Dicens, Quod locus hic uteri á natura excretioni deputatus fuerit. Id quod de hemoroidibus retentis minime dici poteſt. Quę ſententia ei quã pariter vi. de accidenti & morbo dicit, conſentit, quam ex Ariſtotele primo de animalium gener: capitulo xx.accepit. Dicente:Hemoroides in uiris ſunt per morbum , ſed qui in mulieribus per menſes eſt fluxus,ſecundum naturã exiſtit:Cõtra quos ſic graues authores una(& non leuis quidem)mihi ſuccurit dubitatio, quã (ut aptiori alio dicam loco) pertranſeo. At hic unus in arte male peritus, qui alienis auide veſcitur laboribus, ſibiq; nimium credens, inquit, quod & ſi per nos Dubitatio mota ſoluta uideatur, attamen dicit quod eius non undequaq; quieſcit animus,propter ea quæ Galenus paulo ſuperius dicit uerba,videlicet. Porro uteri inflammationes magis etiam quàm renum à uenis in crure ſectis iuuantur. Nam quę ex cubito fiunt euacuationes, aliud etiam habent adiunctum malum, nempe quod purgationes cõprimant,ſanguinemq; ad ſuperiora corporis retrahant;Quę uero ex cruribus fiunt,tantum abeſt ut retrahant, ut etiam menſes promoueant: Poterat is ſi uoluiſſet, Auicennę dictum quarta primi inſerrere pro huius rei cõfirmatione, Quibus tamẽ(ni fallor)uno ſatisfaciemus uerbo, uidelicet quod Galenus inibi non de ſanguinis miſſione loquitur,quę euacuationi principii congruit,quo tempore reuulſionis duntaxat muneri (Et impenſe quidem)uacandum eſt, ut eius nimirum uerba ponderata lucide dicunt. Etenim Galenus euacuationem unius membri euacuationi alterius cõparat,Et non eius reuulſionẽ reuulſioni ut perperã inconſiderati minusq; iudicioſi dicunt , quod ſi alioquin Galenus intelligere uellet, á ſui met contradictione non uacaret,ſicq; eum illos videmus ad grauiores compellere notas:Sed ad propoſitum redeuntes, dicimus , quod ii aduerſatores nimis ſomniculoſé ſuum Galenum interpretantur, quod in libro de ſanguinis miſſione,

In uteri inflammatione à principio poplitis uenam ſeccari uelit. Addentes quod parcè quidem agendo ſic euacuat, ſed non prouocat; id quod largius tentata menſes errumpere cogit; Qui ſanè error appertiſſimus eſt, ſic namq; eſt per initia ea peruersè agere quę in fine ritè facienda eſſent; quod ab operis auſpicatu à nobis tam ſtudiosè reprobatum fuit. Demum ita parcè huiuſmodi facta phlobotomia, quum ſanguinem tantum commouere minusq; eum foris educere ſatis ſit, nimirum ſic affatim ad inflammatis membri locum promouebit, atq; morbum augendo laborantem interimet; quod magnis authoribus non aſcribendnm. Niſi dicatur, quod hoc non ſit extra Galeni dogma, dicere de Vteri inflammatione in principio, quod dicit de coſtarum inflãmatione, ea quoq; ratione, de teſtibus, de cole, de ueſica dicẽdũ eſt, ubi inflammatio hęc obſeſſerit membra, ut pote quod à ſuperioribus diſtantibusque uenis legittima rationalisq; curatio inchoanda eſt, quod ſi eo temporis ſpatio ſanguis forte per nares, ut mihi crebro uidiſſe contigit, à natura ſponte effunderetur, Id hercle præſtantiſſimum eſſet remedium, cum hoc quod natura ipſa nobis Doctiſſima eſſet magiſtra. Proinde Ars ei ſedula imitatrixq; per cephalicam aut baſilicam ſuppleret. Harum partium ſeruata, uel non ſeruata rectitudine, ſecundum quod maior aut minor ſe ſe offert neceſſitas, iuxta inflammationis augmenti aut declinationis ac humorum copiam, quandoquidem (ut alibi diximus) naturæ actionibus huiusmodi rectitudo pertineat: poſtremo in apoſtematis ſede materia iam collecta quum prius per reuellentes ſanguinis miſſiones nequaquam prohibere potuerit, ad inferiores mere euacuantes tutiſſimè cõfugiẽdũ eſt: De renibus uero ipſis nil aliud afferentes, pręter id quod ipſe Galenus dicit in eo de ſanguinis miſſione, uidelicet quod quũ ii inter ſuperiora ac inferiora medium aſſequti fuerint locum, cum utrisque ambigunt euacuationem tamen ab eis per inferiora, Sicut contra reuulſionem per ſuperiora plus faciendã eligit. Et hic (ni fallor) rectus harum inflammationum curationis modus exiſtit. A quo facile uir ille pertinax, & non peritus ſuorum errorum cauſas agnoſcere poteſt, ægrotantem ſuum ab anni inflammatione in morbi principio, ſimiliter & alium, quem ſtatim ab arbore lapſum peruerſe nimis pertractantem, quum cruris fracturam pateretur, inferiores ſtatim uenas ſecuit, quamobrem

uterq; laborans ab eo ſepulturę traditus fuit: Et hæc illa ſunt, quæ ex anathome habuimus per quæ in morbis ſecundum eorum tempora in unoquoq; uentre affecto uenas ſecamus, quicquid aduerſatores de me iniuſte dixerint.

Cap. XII. in quo pro opinionis noſtræ excuſſione prima ponitur ꝓpoſitio.

h is expeditis, integrum eſſet ad rationum contrariarum diſſolutionem ſtatim me conuertere. Verum dillucidioris doctrinę gratia nonnullas propoſitiones prioribus conſentaneas ac ſententię noſtrę ſummam comprehendentes præmittere mihi uiſum eſt. Mox ad obiectorum ennodationem accingar, Atq; hic demum ut ad ſermonem noſtrum pertinet finem faciam. Harum itaq; propoſitionum prima hęc eſt, uidelicet materiæ diuerſio motum ipſum non autem eius quietem reſpicit. Hæc ex diuerſionis diffinitione perſpicua redditur, ubi ergo nullus motus, nulla ibi deſideratur reuulſio, iccirco nullo exiſtente motu, nec pharmaco facienda eſt, & ſi ea fortaſſis fit, alia prouenit de cauſa, quàm ex reuulſionis ipſius inſtituto,

Capitulum XIII. in quo ſecunda ex illis ponitur propoſitio.

o ppoſita huic ſecunda eſt propoſitio, humoris ſcilicet morbum facientis euacuatio quietem prorſus inſequitur, ſiquidem talis præſertim fuerit morbus, qui per ſanguinis miſſionem potiſſimum tolli poſſit, ſiue eo in loco noxius humor genitus ſit, ſiue illic aliunde detruſus eum ultimatū terminum aſſequutus fuerit.

Cap. XIIII. in quo teria ponitur propoſitio.

h Is ambabus tertia proxime ſuccedit, nimirum quum morbi materia quandoque ſic ſe habeat, ut eius quæ iam fluxit portio firma ſit, & quieta, reliqua adhuc moueatur, & fluat,

fluat, ſicut duo adſunt diuerſa & contraria, ſiue contrario indicantia modo, atque in ea ſanè proportione, ut pars utraque medici mentem mouere ſufficiat, in iis ita inuicem commixtis neceſſarium eſt, tali tunc uti ingenio, quod facultatem quoque mixtam habeat reuellendi primum eam quę adhuc in motu eſt, quum reuulſio tanquam fundamentum ipſum præcedat opus, atque eam deinceps euacuandi quę iam procubuit, atquè quieſcit, quo fit, ut eiusmodi ingenium, nec principio, nec fini congruere poſſit, quum inter initia ſit reuellendum tantum, in fine uero duntaxat euacuandum, Eo quo ſupra dixi modo. Alioquin quum non oporteret euacuaretur, ac importuno etiam tempore fieret reuulſio, in fine ſcilicet motus.

Cap. XV. in quo quarta ponitur propoſitio ex qua patet eidem morbo diuerſa ineſſe tempora.

q Varta eſt quòd morbis qui ab inflãmatione ex ſanguinis confluxu genita pendent, uaria adſcribi poſſunt tempora, iuxta uarios qui in eis contingunt motus, nimirum penes localem motum, pro ut humores in corpore per lationem diuerſam acquirunt ſedem, aut penes alterationis motum, pro ut natura circa iam collectam materiam ſuis qualitatibus veluti peculiaribus inſtrumentis alteratione quadam agit, vnde ipſa alium atq; alium acquirit eſſendi modum. Hinc ſequens erit diuerſa non coincidentia tempora in eodem dari morbo, nam quæ localem conſequuntur motum, quandoq; ſic ſe habebunt, ut morbus in fine ſit, quum tamen quo ad alterationis motum adhuc in principii tempore exiſtat, in qua quidem re decepti ſunt (ni fallor) Manardi ſequaces, Quum Hippocratis mentem cum Galeni uerbis concordare uoluerint: nam quum eis obicitur, Cur nam Hippocrates non niſi octaua die in Anaxione uenam ſecuerit? quum tamen Galenus eiusdem lateris uenam inter initia ſecandam eſſe dicat, inquiunt illud adhuc principium fuiſſe, quòd uel inde licet coniectari, quòd niſi crudum expueret, at certum eſt ſignum illud non localis motus, ſed alterationis duntaxat principio correſpondere poſſe. Quamobrem ii vnum tempus ad aliud transferunt, nimirum alterationis ad id quod localis motus, ac ſi unum idemq; præciſe exiſteret. Quum nihil minus utraq;

hęc inter

Temporũ differētia in morbis ex quo alia eſt ratio quæ qualitatem & alia quæ motum localem inſequitur.

hæc inter ſeſe non parum differant, in temporibus nanque omnibus localem metientibus motum diuerſis planè uti ingeniis medico congruit, prout eiusmodi tempora euariant: Nempè in principio, medio, & fine, at in medio alterationis tempore motum inſequente quod ſolet eſſe uigori tempus adſcriptum, haud quidem congrue permiſſum eſt: Pręſertim dicente Hippocrate Quũ morbus conſiſtit, ac uiget, ſilentium habere melius eſt: Hinc facile abſoluitur amici cuiusdam noſtri labor, quo nam iure ante ſeptimam illico diem aut ab ea ſtatim uenam ſeccare aut medicamétum propinare liceat, quum id ſtatus tempus uideatur, nam eo tempore uel ſumum localis eſt motus, aut eius ſaltem complementum, quod uere illius motus declinatio atque finis eſt, quorum neutrum id ipſum fieri prohibent: Sed non eſt id tempus alterationis ſtatus neceſſario, quamuis ut illud ſit posſit contingere:

De Hæbræa in ſtatu euacuata furrente materia

Adde quód in eo morborum genere, quod ad iudicationem uſque totius humoris expulſionẽ haud quaquaquã expectat, (nõ ſeruantem uulgo medici appellant) non id euacuationi reluctari conſueuit, id quod in morbo ad unam reſeruante expulſionem, ſecus hercle eſſet: Nempe in hoc morbi genere, ita reſeruantis, quum in eius temporis ſtatu extiterit, ſilendum eſt: Verum enimuero animaduertenda eſt Hippocratis dictio, quippé quæ non ſimpliciter ſilendum eſſe dicit, ſed expedire potius nihil tunc agere, quum agendi re uera poteſtatem medico non penitus auferat, quoniam neceſſarium quandoque medico eſt, in die etiam iudicii præſidium euacuatiuum offerre, uirtute ſcilicet à morbo grauata, neque ſui facultate apta releuari, unde magnum uitę imminet diſcrimen: Ne forte natura a morbi ſeuitiem uicta ſuccumbat: Nulla nanque amplius ſpes aliqua eſt, quàm ut per euacuationem ea tanto leuetur pondere, ueluti nobis nunc cõtigiſſe quam plures excellentiſſimi Doctores conſpexere, in muliere quadam Hæbrea, cui quũ materia raptum ad caput inchoaſſe, atq; à morbo natura feré deuicta eſſet, ſaphenam ſeptima non obſtante die, aperiri iusſimus, ſequẽti uero die pharmacum exhibuimus, quibus porró pręſidiis natura ſtatim leuata eſt, id quod in multis etiam aliis uidimus, ueluti in deſtinata de hoc quæſtione ad Paulum Rochociolum cum medico Brixellienſi hoc litigium habente, fuſius dixi: cui ad præſens me remitto.

Cap. XVI.

Cap. XVI. in quo alia ponitur propoſitio, ex qua habetur iuxta diuerſa morbi tempora diuerſas oriri intentiones, & auxilia.

P Ræter has quas modo diximus, eſt & hęc ſcilicet, quum diuerſa ſint morbi tempora, diuerſæ quoque prudentibus medicis adſurgunt intentiones, quam rem ſi quis neget, prętet id quod cum ex Hippocratе aphoriſmorum ſecundo, tum ex Galeno libro de uniuerſalibus morbi temporibus eam colligere promptum ſit, is etiam idiotę, ac artis & ſcientiæ ignari nomen promeretur: Quamobrem ſequens eſt, ut diuerſa quoque ſint á natura inſtituta auxilia, quæ uariis illis intentionibus temporibusq; ſatisfaciant, alioquin uanum eorum eſſet conſilium, quòd ad inſtitutum opus haud quaquam perduci poſſet, eſſetq; ſané perinde ac ſine pede calceus: igitur quum in eo quòd de ſecandis uenis eſt negotium diuerſę iam toties á nobis dictę ſint intentiones, ac tempora, profectò nullo nobis iure commodę inciſioni uenę deficere debent, quę uniuerſas eas intentiones ſigillent, in qua quidem re tantum abeſt, ut nobis aduerſetur anatome, ut etiam maxime faueat: quod ſi pro libito uolontate ue, ac ut cuique uideatur, quęlibet diducta vena, quod uis indifferenter expleret munus, quas quæſo eis in hac re uenarum diſſectio ſuppetias ferret? An non eſt hoc confuſionum omnium maxima intricatio? Collige te aliquãdo ſecta, ac paululum tandem reſcipiſcere, ſentẽtiãq; tuã in melius muta, uel in eo pręſertim, quod ad hominis ſalutem, aut mortem tantũ affert momẽti. Et nec adeo ueritatẽ odiſſe uelis, ut dicit Galenus, & ante eũ diuinus Plato nos monuit,

Capitulum primum in quo prima aduerſarii tollitur reſponſio.

h Is expeditis iam tempus eſt ut obiecta aduerſarii euellere, ac rationes infirmare aggrediar: Primum itaq; quod ab eo dictum eſt, humorem in affecto inter initia loco contineri argumento dolorem eſſe quem à materia excitum nullus negauerit, id libenter ei concedimus: Sed in ea tamen quantitate eſſe, pluries iam à nobis dictũ probatum ue eſt, ut illi proportione reſpondeat, quod completa penè fluxione in termino à quo relictum eſt. At quum id adeo exiguum ſit, ut præ illius paucitate à medico quicquam retrahi negligatur, Ita & hoc adeo minimum exiſtimare oportet, quod in motus humorum principio in dolenti particula continetur (liceat nanque à commutata proportione ratiocinari) ut propter eius exiguitatem, nulla ipſius, nimirum ut tunc euacuetur prorſus ſit habenda ratio. Quod autem minimũ dixi, id ita intelligas uellim, ut non milii, aut ſinapis granum ſit, ſed illius comparatione quod ad fluxionem paratum eſt, minimum dici mereatur.

Capitulum II. in quo & alia tollitur reſponſio, quę dicit noſtram rationem in forma & in materia peccare.

q Vod vero deinceps aduerſarius dicat eam rationem quę eiusdem lateris uenę ſectionẽ nullo pacto reuellere, ſed tantum euacuare contendit, quòd in ſecandarum uenarum latitudine extremum eſſe probetur, quòd duntaxat euacuet, non in forma ſolum, verũ & in materia manifeſtiſſime peccare, id maxime animi eius pturbationibus tribuendũ eſt; atqui ſi pacato animo me aliquantiſper audire ipſum non pigeat, efficiam ut quantum à ſcopo & veritate ipſa longe aberret luce clarius intelligat: Mox ipſum pudeat eiusmodi de ipſa protuliſſe ſermonem: Meminiſſe itaque illius oportet, quod in recenſendis rationibus noſtris diximus, nimirum quòd is ratiocinii modus ex ipſis met Ariſtotelis uiſceribus ſit extractus, ut pote ꝙ in primo mouente aſtruendo,

aſtruendo,eodē ſit uſus ſyllogiſmo,eadem rationis proceſſerit ſemita, nec ipſe ſi ſapit(ut certe ſapit)id negare audeat. Quamobrē ſi noſtri ſillogismi formam modū ue redarguat, eodem uitio Ariſtotelem inſimulet neceſſe eſt, proinde ſi ad conſtruendū propoſitum illius rationes valent,noſtrę quoq; id quod intendimus cōuincere poterunt, nam mirum profecto fuerit, ſi totius naturæ fundamentum per eas comprobari queat, per noſtras uero uenę ſectionum ſtatus, quę res adeo puſilla eſt, ne quidem minimum. At & me hercle noſter ille ex contrariorum uia arguendi modus irrefragabilis eſt, ut omnibus iis qui tum rationales,tum naturales diſciplinas probè norunt perſpicuum eſt, nam ex ſapientibus qui illum negent hactenus comperimus neminem. Quamobrē nihil eſt,quod rationes has noſtras in forma dicat delinquere,uerum enimuero quod is nullo modo ſectæ concludere uideatur,illud in cauſa eſt, quòd philoſophiæ maieſtate relicta, cui uis rei potius quam ipſi operam impendit, quam ſanè rem non poſſū nō ſatis admirari, quum potiſſimum infinities Galenū uiderint Empiricos à philoſophia ſemotos huius rei & irridere & redarguere. quo ad uero fieri potuit, ſua ipſius commentaria, naturalibus rationibus munire, ac phiſiologicis(ita dixerim)ornamentis decorare ſtuduit: Quoniam autem licet de formę peccato dixerit,nihil tamen ab eo probatum eſt,ſed circa materię falſitatem duntaxat verſatus eſt, ad id ſermonem noſtrum conuertere expedit: Inquit perperam dixiſſe me quandam ſanguinis miſſionem dari,quę ſimpliciter quidem reuellat, neutiquam euacuet,quum in Medicorum libris nuſquam reperiatur,eapropter talia coram medicorum cœtu, non adducenda fuiſſe aſſerit: Huic reſpondens dico, primum hac in re ipſum ſibi contradicere,quod peccatum facile eſt uidere,nam quū quærebatur à nobis, quonam pacto Galenus in inflammatione coſtarum per eiuſdem læſi lateris ſectam uenam in principio reuellit, ſi reuulſio per contraria, diſtantiaq; loca perficiatur, Hunc ut ipſe euitaret ſcopulum dixit, quum Galenus reuulſionem ſolam inquirit, omni euacuatione remota, tunc id per diſtantiſſima loca eū perquirere, ergo is author hanc quandoque admittit reuulſionem,quam ſimpliciter uocare nobis uiſum eſt, quia ab euacuatione ſeiuncta ſit. Neſcio quid nam turpius ſit, an iſta adeo præclara in medicina à nobis ex preſtantiſſimis philoſophis excerpta me adducere, an ipſum illa inſomnia figmenta ue proferre? quę eum adeò prompte ad ſui cōtradictionem

Eā uideatur ſumma tertia cap.x.

nem

nem uehunt? Præterea (ut ad noſtrum inſtitutum redeamus) id quod dicit ueritati minime conſentit: Nam in domo patris mei (ut ſacris vtar uerbis) per multæ manſiones ſunt, idemq; de medicina quod de philoſophia accidit, nam perinde ac Stoicorũ, Academicorũ, Peripateticorumq; ſcholas hęc complectitur, ita iſthęc medica facultas diuerſa nimirum poſſidet hoſpitia, aliás enim ad gręcos, interdum ad Arabes, nonnunquam ad latinos diuertit, proinde ſicut non ob id, fatum non dari ſequens eſt, Quód illud Academici penitus auferant: Nam ex partis deſtructione, ſupra totius ablationem arguere haud quaquam licet (ut dialecticis probè notum eſt) ita nec uerum omnino eſt, nullã prorſus penes medicos venę ſectionem dari, quę omni ſemota euacuatione duntaxat reuellat, ob id quod eam nuſquam in Græcorum monumentis reperire liceat, licebit nanque fortaſſe apud Arabes ipſam conuenire, dabitur & eam penes latinos quoſdam conſpicari. Ac ſi minus de explicito non adeo tamen obſcure impliciteq;, ut quiuis eam adeſſe non facile ex eorum uerbis coniectari ualeat. Verum enimuero & ipſam nullibi apud medicos inueniri ex gratia, non ex debito ipſi condonemus, ac noſtrum potius inuentum eſſe fateamur: quid tum deniq;? Num præcluſa eſſe debet nobis uia ad philoſophandum? atque aliud inueniendum, quod & uerum, & bonum ſit, quando potiſſimum dicat Ariſtoteles, Artes per additamenta fieri? Si itaque noſtro (tenui licet) ingenio at rationi certe plurimum innitenti medicæ aliquid authoritati ſit impartitum, id impune noſtrum dicere liceat, atque obiter tali interim arguere diſcurſu: Imminentibus, quin potius inchoantibus fluxionũ cauſa in repletis corporibus coſtarum inflãmationibus, tres quippè rationali medico diuerſæ oriuntur intentiones, iuxta uaria eorum tempora, diuerſis motus humorum partibus reſpondentia, ut ſupra à nobis dictũ fuit, quas quidem perficere omnino neceſſarium eſt: Ergo & in re præſidia ſunt, quę dictas iam intentiones exequantur, alioquin ſicut diximus ſine pede calceus foret; At quum naturam artem ue in iis quę neceſſaria ſunt, haud quaquam deficere, nullus ſit qui ambigat, huiuſmodi neceſſario dabuntur ingenia ac præſertim uenę ſectiones, quę inter hęc potiorem obtinent gradum. Quamobrem ut a priori arguere nobis liceat, ſicut circa initium finemq; ſimplices rationalis medici intentiones ſunt, at miſtę in medio, Ita & ſimplices & mixtas uenarum inciſiones omnino dari neceſſarium eſt, quę

non

non ex libito, ſed ex propria natura ſint, id pro te qui mihi aduerſaris dixiſſe uolui, qui ſemel totam hanc uenarum ſpeculationem, ex uenarum diſſectione pendere contendis: Mox eandem ſectam uenam ſi nobis placuerit nunc reuulſiuam tantummodo fore: Modo etiam ſi id nobis cordi fuerit, rurſus adhuc euacuatiuum effici, atque ad nutum noſtrũ non ſecus ac Protheum formam mutare cupias mordicus perſuadere: Nam ſi id uerum eſſet, poſſumusq; nos opportune noſtro ingenio cõparantes, reuellentem aliquam conſtituere, mox itidem ex maiori minori ue extractione ſanguinis facere, quæ quæſo anathomes foret indigentia? Cuius alioquin (te authore & uere quidem) tanta eſt neceſſitas: Hoc autem quod dicimus, ex Galeno etiam colligitur XIII. methodi eodem abs te citato textu, quum dicat phlegmones quæ nondum abſolutionem nacta eſt, ut pote quæ præter eũ qui iam particulã obſidet humor à fluxione adhuc infeſtetur, duplicem indicationem eſſe, tum prçcauendi, tum curandi, quorum primum reuulſione, alterum euacuatione efficitur, ſi itaque complicita intentio ſit, nec uia ſimplici procedere nos oporteat, quis ſanè tam ſenſus expers fuerit, qui neget ubi medentis ſimplex fuerit intentio, eo utendum eſſe ingenio, quod illam ſeorſum perficiat? Alias ſi non ſimplex, ſed miſtum utroque egerit: Alterum certe ocioſum, id ſcilicet cuius nulla tunc ſit indigentia prorſus ſuperuacum fuerit, quod nec natura, nec ars admittit: præter hęc rurſus per reuulſionis euacuationisq; diffinitiones arguamus, Nẽpe reuulſionis ratio eſt, ut ad oppoſita longinqua ue fluentẽ ad effectum locum materiã reuocet, qua ſiquidem de cauſa, tum à deriuatione, tum ab euacuatione diſſidet, ab euacuatione quidem diſtinguitur, quod hæc per eandem non per contrariã poſitionis differentiã fiat, At longinquitas deriuationem à reuulſione diſterminat, ut pote quę, non per longinqua, ſed per proxima efficiatur: Eſt ergo reuulſio quę currẽtẽ humorem à phlegmone obſeſſa particula longiſsime reuocat, atque ad oppoſita trahit mẽbra, ſiue his humor proprius ab eis recedat ad dolentem fluxurus ſedem, ut in ſaphenarum ſectione accidit, ſiue aliunde moueatur, nam hoc in reuulſionis ratione minime continetur: At nec hic in dubiũ reuoco an quod diximus proximum remotum ue per explicitam manũ, aut per mathematicam quampiã menſuretur dimenſionem: De hoc nanque inferius à nobis ſermo habendus eſt: Illud nobis ad præſens ſatis ſit, non ignoraſſe, quoties fluentem

materiam

materiam ad contrariam longinquam ue differentiã retorſerimus probé diuerſionem feciſſe nos: Contra uero in euacuatione ac deriuatione ſe ſe habere, Quamobrem quum ſaphenæ inciſio ad oppoſita longinqua ducat, reuulſionis eã officio belle fungi fateamur oportet: At quod nullo pacto euacuet á ſuperiori ſcilicet medioq; uentre paulo inferius probabimus: Quod ſimul ac erimus aſſequuti illico perſpicuum euadet primum extremum illud dari, cuius munus ſit, ſolum ſimpliciterq; reuellere.

Sed iam ad cœptum noſtrum negotiũ reuertamur: Quòd deinde dicas tu qui mihi aduerſaris, ſanguinis miſſionem, quæ ex ſaphena fit ad inflammatum potius locum fluxionem promouere, quàm ab eo retrahere, hic te tui oblitum eſſe reor, nam quũ eiuſdem lateris baſilicam, tametſi in proxima eademq; ſitus differentia ſit, ob id tamen reuellere admittas, quod facilius ad amplum diductionis locum, quam ad anguſtam oppletamq; plegmones ſedem humor fluat, cur id ipſum in ſaphenæ inciſione fieri poſſe negas? Qua ratione ab hoc ipſam abſoluis munere? nullam profecto rationem, aut diſcrimen in hac re potes aſſignare, Quum ſubdis uero, eam potius euacuatiuam dici debere, quũ præſertim Galenus quancunq; ſectã venam à toto animalis corpore euacuare voluerit, hic te ueluti pullum in ſtupa implicitum uidere videor, iccirco ad tollendã ęquiuocationẽ, qua plurimum laborare uideris, quid nomina iſthęc reuulſiuum & euacuatiuum ſignificent, prius declarare opere pręcium eſſe exiſtimo: Nominum enim notitia adeo neceſſaria eſt, ut ea ipſa ſit, quam in vnaquaque diſceptatione in prims habere oportet, alioquin cõfuſio ſemper adue nit ne igitur & nobis hoc malum mentes inuoluat, rationemq; obnubilet, ea prius diſtinguere ac dilucide explicare conemur.

REVVLSIVVM itaq; appellamus, quod nuper à nobis diffinitę reuulſionis uices agit, atq; illius ut diximus munere fungitur, itidem & euacuatiuum dicimus, quod diffinitam modo euacuationem perficit, Cœterum illud annotandũ eſt, reuulſionẽ duplici poſſe tentari modo: Nam dum reuellimus, uel humorum portio aliqua è corpore effluit, uel prorſus nulla, ſed de regione ad regionem duntaxat ducitur humor, Exemplum primi diuerſio eſt, quę per uenę ſectionem, vel hirudines aut ſcarificationes, aut clyſtere, aut per glandem fit. At ſecundi exemplum eſt, ut quum fit humoris ſodam facientis ad pedis calcem conuerſio, cum aquæ calidę balneo (vt Auicennæ uerbis utar) aut ligatu-

ris

ris huiuſmodiq; ingeniis. Inde euenit, ut quum reuulſiuum ſine euacuatione dicitur. Qui modus eſt ſecundus, ad noſtrum propoſitum minime attineat, quum nobis ad præſens de phlobotomiis ſermo ſit: Quæ tum ſimul cum euacuatione, tum citra etiam euacuationem reuellunt, citra euacuationem non ita intelligas uelim, ut nullatenus è corpore ſanguinem educat, fieri enim non poteſt, ut præter id quod aliquid educatur, ſanguinis miſſio fiat. Nam quonam pacto intelligi poteſt miſſionem ſanguinis fieri, & nihil inde exire? At planè ſic intelligitur, non quòd ſanguinis miſſio non fiat: Sed quod contenti in inflammata particula humoris nulla pars euacuetur, hoc ſanè iure illam reuulſiuam eſſe uenæ ſectionem dicemus: Quæ non quidem qui procubuit, ſed qui etiamnum fluit ſanguinem auertit: Euacuatiuam uero eam nuncupamus, quæ collectam iam in loco materiam potiſſimum euacuat: quapropter & eam ſimpliciter reuellentem uocabimus, quæ fluentem humorem ex ſui natura tantummodo retrahit, ea nanque licet euacuet, illum tamen nullatenus foris educit: Qui in dolente particula continebatur, rurſus ſimpliciter euacuantem dicimus, quæ nihil prorſus reuellit. At ſolummodo in doloris ſede procumbentem humorem euacuat: Hac itaque ſublata nominum ambiguitate, quo propoſitæ rei ſatisfiat, euacuare qui dem probè omnem uenæ ſectionem fatemur, non omnem tamen euacuatiuam ſtatim dici debere concedimus, quam ob rem & Galeni dictum rectè ſanè intelligendum eſt, ne ſecum pugnare uideatur, non enim putare oportet uoluiſſe Galenum quancunque ſectam uenam, quod uis corporis membrum inanire, quum præſertim oppoſitam axillarem in pleuritide ab inflammationis ſede, aut nullo pacto euacuare, aut ægrè admodum poſſe uoluerit, num igitur de ſaphena id fortaſſe affirmauerit? quæ præter id quod nullum cum affecta coniugium poſſidet: Tam longe etiam ab ea diſtat, quàm quæ maxime? Nullus me hercle eſt, qui non moriturum prius hominem credat, quàm pleuritidem faciens humor per pedis ſectam uenam educi ualeat: Quam ſanè ob cauſam remoti CVRTIENSES huius uenæ ſectionem infeſtante coſtas dolore prorſus inutilem eſſe exiſtimarunt, quaſi omnem quæ huic morbo debetur uenæ ſectionem inflammationis ſedem inanire oporteat. Quod, falſum omnino eſt, neque enim ii rei ipſius fundamentum inſpexere, quippe quum naturæ operibus maxime conſentaneum ſit, non quidem inter mor-

bi initia, ſed in fine potius euacuationem moliri. Perinde enim ac natura humores alterat, primum ac diſponit, mox eodem conſulto tandem euacuat, item & ars recta ratione mota materiam reuellere ac uniuerſa quæ in corpore ſunt impedimenta ammouere. Poſtremo eum qui morbum facit humorem auferre debeat.

Accõmodatè igitur (ut diximus) Galenus intelligendus eſt, ut per id uoluerit ſanguinis miſsionem ex quacunque fuerit uena totum animalis corpus in hunc modum euacuare: non quidem, ut à quouis membro quamlibet materiæ portionem educat: Hoc enim impoſsibile eſt, uita perſiſtente: Sed uniuerſum corpus omnibus ſucceſsiue motis humoribus, ne uacuum inducatur, ſi non omnino exhauriat. At planè ſaltem euariet, in hunc igitur modum ſaphenam inciſam reuellere duntaxat dicimus, neutiquam euacuare, quum nihil prorſus noxii humoris ab inflammato loco euacuet, quod quam ita ſit, liquido cui uis rationem hanc ab initio repetenti manifeſtum eſſe poteſt, nihil te hoc pacto illam offendiſſe, quando eam non modo quam prius nacta fuerat ſoliditatem, uerum & maiorem nunc firmitudinem obtineat, adeo ut magis ac magis rurſus te cogat ac deuinciat.

Cap. III. in quo ea tollitur reſponſio quæ collateralem phlobotomiam in principio inflammationem augere, negat propter prioris materiæ egreſſum.

D aliam modo tuam ſolutionem deuenio. Qua omnino à tollere ſtudes in eodem latere ſectam in principio uenam, fluxionem magis ad affectum locum promouere, ſiquidem id fieri non poſſe inquis, quòd egredientis ſanguinis motus alterius ingreſſum impediat, contrarii nanque illi duo motus ſunt. Hæc profecto ratio (me iudice) cogit te uelis nolis've pugnantia dicere: Ad quodlibet nanque falſum & implicans præmiſſum contrariorum utrunque (ut iam notum eſt) ſubſequitur, eam nanq; ſectionem, & conuertere, & diuertere fateri tibi neceſſarium eſt: quandoquidem materiam inflammatam particulam ingredi: eandemq; rurſus non ingredi ex placito tuo conſequitur, uacui enim ratione quodq; ibi calor dolor've tanquam attrahentes fomites relicti ſint, illam neceſſe eſt eo loci penetrare, at quoniam egreſsionis

motus, id omnino impedit, fieri haudquaquam poteſt, ut eadem introducatur. Quam ob rem ea ſiquidem per te tum maxime ingreditur, tum minime, quæ duo ſibi contradicere nemo plane non intelligit: enimuero & aliud, quod & tu me obiecturum prouidiſti: Ex ea naſcitur abſurdum, nam licet dum aperta remanet uena, ex eaq́ ſanguis fluit humorum dolentem particulam adire non poſſe tibi condonemus. Nihilominus cum in corpore plurimum ſucci redundet, affectum uero membrum ob dictas modo cauſas attrahat. His adde quum natura tunc ad eum locum transfundere cupiat, quin etiam ratione uacui magis in eam propenſa ſit, ne minimum quidem diſtracta, fieri hercle non poterit, quin ſuppreſſo ſanguinis fluore, obductoq́ uenæ foramine, humores affatim ad ipſam ruant, ibiq́ maiorem longeq́ perniciosam phlegmonem generent, ob quam ſi minus ægrotans pereat, natura tunc contra præſidium illud morbumq́ ſimul æquis uiribus acriter pugnante, miraculo aſcribi, ac tanquam in naufragii tabellis pictum reponi poterit: Eſt enim hæc ſanguinis miſſio in morbi initio ei ſimile auxilium, quod aliquando quartana laborantibus adhibetur, quod ſanè certum potius periculum quàm ſalubre conſilium appellare expedit. Proiiciunt nanque improuiſum ægrotantem in mare, ut recepto ob metum intus calore, latens frigidus humor diſcutiatur, niſi tamen prius is mergatur, aut alio quouis modo pereat, quod facillime (ne dicam neceſſario) euenire poteſt, ab eo certe curationis modo hic qui per ſectam eiuſdem lateris uenam perficitur, non abſimilis eſt, qui ſi interdum non infœliciter cedat, audis illico medicos ſe coram regibus iactantes, ac non ſecus gloriantes quàm ſi deſperatam omnino ſalutem reſtituerint, atque ab inferis hominem reuocauerint, quum tamen contra potius, certam ſanitatem in deploratam ac fermè incertam ualetudinem uitamq́ in diſpendium maximum peruicaces adeò ac præter rationem agentes perduxerint, quod ne gratis dixiſſe uidear, præſertim abs te monitus debuiſſe me iſthæc experimentis comprobare, duo duntaxat inter initia, quæ in primo etiam libello noſtro recenſuimus. In huius rei teſtimonium adducam euenta, iuuenis quidam cui ſanguine ad modum repletum corpus erat, lateris dolore correptus eſt: Huic ſtatim inter initia ſecta ea uena eſt, quæ fluentem humorem reuellere ſolum poteſt, adhibita tenuis uictus ratione, atq; uentris ſolutione, in iiii. morbi die quũ dolor quadantenus perſiſteret,

 ſuperueniens

ſuperueniens quidam ex hac hæreſi medicus, rurſus ei ſanguinem extrahi iusſit: ab ea quæ in collaterali cubito iacet uena, illicoq́ uiſus eſt dolor remitti: Verum paulo poſt adeo uehemens rediit, ut fere hominem iugulauerit, id quòd ſanè argumento eſt nouum humorem in dolente particula, nequaquam in oppoſita procubuiſſe: At in maiori copia quàm prior fuerat eſt & alterius iuuenis exemplum ab initio in dolenti parte phlobotomati, hoc quod dicimus non minus confirmans, ſed id eo loci uidendum relinquo, ex iis autem cui uis manifeſto liquet, num inſequendus, an fugiendus potius ſit hic ſecandæ uenæ modus. Siquidem ex eo huiuſmodi ſequuntur incommoda, quæ profecto nulla alia ex cauſa contingere poſſunt, niſi quòd nouus longeq́ maior materiæ cumulus affectam ſedem clauſa uena aggrediatur. At planè te dicentem uideo, euentis iis quæ noſtram opinionem perſpicuam reddunt, nullam adhibendam eſſe fidem, utpote quæ fallacia ſint, ſed profecto hæc non tua modo, uerum & totius ueſtræ ſectæ conſuetudo eſt, nimirum ut ſimul ac nouus rigor, nouaq́ aliqua ſuperuenenerit titillatio, illico ueſtes permutetis: Verum enim uero concedatur particularibus iis experimentis non eſſe perpetuo credendum, eo magis quum authoribus Galeno de facultat. ſimpl. med. ſecundo, & Auicenna canone ſecundo quàm plures neceſſariæ ſint conditiones, ad hoc ut rectum legitimumq́ eſſe debeat experimentum, quid tamen ad rationem modo dictam reſponſurus ſis. Auidus expecto: Item in qua requiſita ad ueram experimenti naturam conditione iſthæc per nos adducta deficiant, digito nobis oſtendas. Nam ſanè quam hactenus adduxiſti, id uidelicet adhuc magis abſurdum ſequi ex illa quæ in oppoſito cubito eſt uenæ ſectione præſertim quum humores æque perturbet, minus uero dolorem ſedet. Mihi ferè riſum mouit. Vix enim (ut tibi uerum fatear) me continere potui, quin in chachinnum proruperim: quando quidem nec rationi conſentanea ſit, ut ſcilicet per ſanguinis contrariam miſſionem, materia euulſa puta ab A, doloris loco eaq́ tracta uerſus B, locum oppoſitum ex tali retorſione copioſior inde quàm prius fuiſſet materia in ipſo excreuerit A. Hoc nimirum ſomniantis eſt, oſtenditq́ te ſecandæ uenæ fundamenta radiceſq́ male admodum nouiſſe, utpote qui authoritatum foliis innitare. Cuius rei cauſa nulli certe magis eſt aſcribenda, quàm ueſtro

ſtro nimio doloris timori aut uehementi inhanc hæreſim propenſioni. Hunc igitur tu cum cæteris metum adime. Hunc non legitimum repelle amorem,ut aliquando ueritatem intueri ualeas: Iuxta illud Seuerini Boetii Carmen. Tu quoque ſi uis cernere uerum,gaudia pelle ſpemq́ fugato:nec timor adſit,Hæc ubi regnant, nubila mens eſt.

Ego uero non ut diſſolutionem hanc tuam infirmem, nam (ut dixi) nihil nobis officit, ſed ut te ab huiuſmodi nodo abſoluam, omnino enim perplexus uideris: STATVI mecum opportuna quædam præfari quibus tandem tuus illuſtratus animus ueritatem aliquando conſpicari ualeat: Sed rem altius aliquantiſper exordiri neceſſarium eſt, oportet medicum illum qui rectam curationem intendit, morbum ante alia omnia, mox illius tum intrinſecas tum extrinſecas cauſas, atque eius demum tempora probè cognouiſſe. Nam ex morbo eiusq́ cauſis qualitatis ac quantitatis auxiliorum notitiam aſſequetur,at ex eius temporibus quo pacto, qua've ſemita ac uia præſidia afferre debeat, optime perdiſcet. Hic tu qui pro Galeno animam uouiſti, aures arige,alter nanque per iſthæc eius non paruus detegitur lapſus. Nempè quòd temporis nullam rationem habendam eſſe cenſuerit, idq́ pluribus in locis affirmauerit, utpote quod in debita quantitate qualitate've offerendorum perpetuo comprǽhendi ſit arbitratus. Quod ſanè placitum falſum eſſe ſemper exiſtimaui: Cuius cauſam ſi ſcire cupias, aliàs me tibi ſignificaturum polliceor: Nam quod ad propoſitam rem pertinet, ad eam ſuperius dictam diſceptationem pro duobus inter ſe litigantibus uiris me remitto: Idq́ nobis in præſentiarum ſat ſit: quòd in medicorum peragendis negotiis, temporis conſiderationem omittere non leue eſt peccatum: Quicquid Galenus dixerit, eiusq́ aſeclæ, quanuis propter eorum præclara commentaria iure magnæ ad hæc uſque tempora fuerint exiſtimationis, ſed ad rem noſtram reddeamus, morbi itaque temporibus probè inſpectis, quid deinceps agendum ſit optime medicus cognoſcet. Præſertim quum antea quæ cui tempori intentiò debeatur ex morbo dignouerit .Igitur ſi pleuritidem circa principium eſſe intelligat, eo nimirum tempore oppoſiti cubiti ſectam baſilicam nullo pacto opportunam eſſe pronunciabit, quum uigentem tunc mentionem nequaquam perficiat, nam quum principio mera ſimplexq́ reuellendi inſurgat intentio, ea autem non ſimplicem, ſed euacuationi miſtam (ut declarauimus)

mus) reuulſionem operetur : iure igitur optimo eo tempore incongrua importunaq; erit, neque eſt quod dicat aliquis ſanguinem ex ea ita educi poſſe, ut licet abſolute eiuſmodi uenæ ſectio ſui natura, & reuulſioni, & euacuationi ſeruiat, ſi tamen parca fiat duntaxat reuulſiua dicenda ſit, nam profecto ſiue parca, ſiue copioſa efficiatur, inter initia uſu euenire minime poteſt. Copioſa enim ſi fuerit, euacuantem illam eſſe concedemus. At euacuare eo tempore non prius intendimus, quàm natura ipſa quæ materiam primo apte concoquit, deinde eam prædiſpoſitam in fine educit, præterea ſi ex oppoſiti cubiti uena materiam à loco dolenti, ratione coniugii euacuare tunc uoluerimus, manifeſte eſt eo loci tunc materiam petere, in quo uel non eſt, uel modica, contra ipſorum inſtitutum, uidelicet quòd nunquam petenda ſit materia ab eo in quo non eſt loco : Si uero parca tunc fiat potius ſanguinis miſſio, plerunque periculum imminet, ne dum ad id trahimus latus, recens alia in eo generetur inflammatio. Quòd rationabilius longe eſt, quàm ut per eam prioris affecti loci augeatur materia, adeò ut quæ dextram prius (ita dixerim) infeſtabat partem, nunc ſiniſtram occupet, unde deinceps grauius præclariſſimorum authorum teſtimonio imminet diſcrimen, quam rem non negligenter animaduertere debent doctiſſimi illi uiri qui nihil referre dixerunt, ſiue in dextro, ſiue in ſiniſtro latere uenæ ſectio tentetur, perinde eſſe, ac ſi de caprina lana aſini've umbra certetur, ſed de hac re longior in ſequentibus à nobis habendus eſt ſermo.

Manifeſtum itaque eſt nobis hanc uenæ ſectionem nullo pacto rectè inter initia adminiſtrari poſſe. Quo fit ut aliam remotiorem quærere neceſſarium ſit, quæ eo uigentem tempore intentionem exequatur : quæ ſimplici uidelicet reuellendi intentioni adæquetur, & profecto relictis eis quæ in utroque fiunt cubito, Reſtat ut ea ſit ipſa quam ſine ullo periculo adminiſtrare debeamus, quæ in pedis talo eſt, (ut diximus) hæc autem quæ modo diximus, ex quarta quinta've propoſitione noſtra liquent : Cognoſcens igitur morbi tempora illius probè accommodata ſingulis quoque intentionibus diſtribuet auxilia : His itaque prælibatis ad tuam tandem rationem accedamus. Fateor ego ſanè, ſi inter initia, quæ è directo patientis eſt lateris uena ſcindatur, nouum materiæ cumulum, ſi minus exeunte ſanguine, at ſaltem ſuppreſſo eius humore ad affectum locum confluxurum. At quum dicas deinceps

inceps id magis ex ea contingere, quæ in oppoſito cubito ſita eſt, id ſi tibi gratis condonem, nihil adhuc me læſeris, non enim ſic ſentimus nos, ut ab eadem, aut oppoſita axillari in principio ſanguis mitti debeat quum ſaphenarum ſectioni id tempus congruum eſſe arbitremur. Sed nec eſt me hercle illud concedendum tibi, fieri enim nullo pacto poteſt, ut ſecta uena inflammatio deinceps augeatur, ſi quidem alio transfertur, atque ab eo loco humor diuertitur, nam nec ratio, nec ſenſus ullam iſtius rei fidem faciunt. At potius uerè hoc ſequitur abſurdum, nimirum ut ob hanc importunè factam uenæ ſectionem recens in eo generetur latere inflammatio, ad quod humorem iam retraximus. Hoc ſanè multo intelligibilius eſt, ac rationi ſenſuiq; magis conſentaneum. Huius ergo euentus in Piſtrice quadam exemplū memini me recenſuiſſe in libello primo: ſimile etiam refert iunior Montagnana in ea quæſtione quam ſeorſum huic ſpeculationi dicauit: Idem mihi ſcribenti nuper Guaſtallæ medicus Bocinus in ægrotante quodam, cuius ipſe curationi præeſſet, nec dum menſis agitur, accidiſſe iureiurando affirmauit, quod quum uerum ſit, ac pluries experimento comprobatum, idq; ſenſus luce meridiana clarius oſtendat, ne loco prius abſcedas, aut greſſum mutes, quàm promiſſam herbam mihi dederis, niſi infidus haberi uelis. Quod de uiro tam graui haud facile ſuſpicari poſſum. Nam ſi ut ſenſu quotidie deprændimus ſecta oppoſiti cubiti uena ad diuerſa humorem trahens ſola uacui facultate aliam in eo oppoſito latere phlegmonem generat, nullam ei uim paſſo prorſus conferente, nulla ibi prorſus exiſtente affectione, quippe quum nec impreſſa antea aliqua propria caliditas, nullusq; in loco antea fuerit dolor, atqui nec fibrarum rectitudo aliqua (cataxim uocant) quam iis temporibus tantopere magnificarunt, extiterit, quid quæſo accidere putandum eſt? ſi ex eadem parte inter initia ſanguis mittatur? ubi omnia fluxui materierum fauent, uninerſaq; ad attractionem præſto ſunt, tantum abeſt, ut ad excipiendum ſint promptisſima, non ne uix fieri poſſe, quilibet mentis compos dixerit, quo minus humores ad eum locum iugiter transfundantur, potisſimum quum dicat Auicenna capitulo de uiribus cordis, ad rem aliquam diſpoſitum duplum cauſarum habere. Quam ob rem ad duplum, ne dicam ad triplum aut potius à ceruatim illic nuper dictis exiſtentibus cauſis non poterit adeo non augeri phlegmone, ut ſi minus ægrotantem ad interitum deduxerit, magnum certe quippiam ab eo Diis immortalibus

talibus uouendum ſit, præſertim uero id multo in tuis manibus euenire neceſſarium eſt, quum ab aliis diſcors eam ſanguinis miſſionem copioſam fieri nõ debere contendas, quo fit ut ſi quæ educitur pauca ſit materia, ea amplior multo futura ſit, quæ in euacuatum ſuccedet locum, ac quo minor quidem fuerit euacuatio eo maior futura ſit attractio. Quod abs te ueluti mihi impoſsibile quippiam probandum propoſitum fuerat, profecto ſi iſthæc tranquillo animo tecum ipſe reputabis, fieri minime poterit, quin & tu ea uerisſima eſſe fatearis herbamq́; ſtatim nobis des. Quam ſi hoc tibi probaſſemus tradere pollicitus es. Igitur quum id perbelle ſimus aſſequuti, lubens eam nobis porrige. Sed de hoc ſatis.

Cap. IIII. in quo aduerſarii remouetur error hunc triplicem phlobotomiarum ordinem auferentis.

q Vum autem ex modo dictis liquido ſatis conſtet inflammationis principio nullam congruere phlobotomiam, niſi eam quæ in ſaphena fit, duas uero alias duobus ſequentibus conuenire temporibus. Nullus ſit deinceps, qui hunc uenæ ſectionum ordinem multitudinemq́; abhorreat: Memoria enim prius repetat, nos de iis quæ ad hominem attinent in præſentia agere, homo uero (ut nulli non perſpicuum eſt) totius planè mundi imaginem refert, unde & ex antiquorum dogmate microcoſmon eum appellare conſueuimus, eapropter (ſi magna paruis conferre licet) quodam fere perſimile in eo accidere uidetur, quod de orbibus ſubtili quoddam ſtudio cœli. II. Ariſtoteles ſpeculatus eſt: In eo nimirum quæſito, quod & ipſum difficillimum appellat, dum quærit, cur cœleſtibus orbibus extremis paucisſimi motus, mediis uero plures ſunt impartiti? hoc nanque in adeo ornatiſſimo cœleſti corpore motuum confuſionem arguere uidetur, in quo nullus quippe ordo ſit ſeruatus: quum octauæ in primis ſphæræ (quod & primum mobile appellant) unicus duntaxat ſit motus, ultimus uero orbis, aut unum tantum, aut certè paulo amplius poſsideat: At mediis deinceps plures ſint communicati ita nanque infimum, ſupremumq́; quanquam diuerſa ratione, in uno propemodum conuenire uidentur. Itidem ferè, & in propoſita re noſtra euenit, inter has uenarum ſectiones, prima ultimaq́; uni ęquidem ſatisfaciunt intentioni, extremę nanque quum ſint, ſimplices

plices ſunt atque ſunt ſinceræ,& impermiſſæ,quæ uero in interli‐minio harum ſunt, utpote quæ in oppoſita axillari, minoribusq; baſilicis conficiuntur plures ſibi ſanè functiones uendicant, quòd utrorumq; extremorum naturas referant, PORRO, nec nos hic alter corripiat, quòd dum de medica re agimus ad cœ‐leſtia ſtatim tranſeamus. Non enim hoc illi diſſonum magis uide ri debet, quàm quod Ariſtoteles de cœleſtibus uerba faciens, eo‐rum quæ ad medicos pertinent, ſermonem immiſcuerit, nam eo loco quæſitum adeo arduum non niſi per ſanitatem ægritudinemq; ceu manu duxit, hinc facillimum eſt cuius cognoſcere, quàm in‐conſulto uiri quidam alioquin docti, atque in anathomes diſcipli‐na probè periti hunc ſecandarum uenarum ordinem multitudi‐nemq; reprehenderint, earum enim ſeries mundi proportione re‐ſpondet. Potisſimum quum & ars naturæ, ac primo enti asſimi‐lari maxime quo plus poteſt, ſtudeat. proinde, & multiplicitas apprime neceſſaria eſt, illamq; illuſtres authores (tantum abeſt) ut ſuaſerint, ut etiam arctisſime imperauerint, inter quos Auicen‐na, phlobotomias partiri nos debere præcipit, atque altius pro‐clamans numerum planè multiplicare, non quantitatem, plurimum expedire dixit, quanquam fortaſſe non uſque adeò tutum eſt pa‐lam eum nominare. Quum (ut audio) Manardi, Leonardi've fuchſii iuſſu ob hunc unicum quem ipſi exiſtimarunt errorem ſit di‐laniandus: Atqui eorum ego pace dixerim, non modo non eſſe lacerandum, quando quidem ab errore (ut noſtræ rationes oſten derunt) eſt immunis: quin potius maximis laudibus ſummisq; præconiis extollendam eſſe, quum præſertim doctrina iudicio've cæteros longe ſuperauerit Galenum prætereа (quamuis hac in re, aliisq; nonnullis quæſtionibus claudicauerit) commendandum tamen, atque ob infinita propè ab eo recte inuenta habendas ei gratias eſſe, hominis enim eſt interdum peccare, dei uero optimi maximi nunquam.

Cap. V. in quo ea declaratur necesſitas, quæ in hoc triplici phobotomiarum or‐dinè reperiri poteſt.

PRæter hæc quæ modo diximus, illud etiam animaduerſio ne dignum uidetur, ut poſtquam de uenæ ſectionum mul‐titudinis necesſitate dictum eſt, eamq; Auicennæ autho‐ritate

ritate aliquantiſper comprobauimus, qualis nam iſta neceſsitas ſit, deinceps explicemus: Eam igitur non ſimplicem quidem, abſolutamq́ eſſe dicimus, quandoquidem ſæpisſime contingit, ut una tantum ne dum duæ ad perfectam curationem ſufficiant, id quod in illuſtrisſima Domina Antonia Gonzaga Baucia accidiſſe iam pridem in noſtro primo retulimus libello. Huic nullo alio adhibito præſidio ſola ſaphenæ ſectio ſatis fuit, ut priſtina ei ſanitas reſtitueretur. Quam obrem hanc non abſolutam neceſsitatem, ſed ex ſuppoſitione potius dici debere cenſendum eſt: Adeo ut ſi quæ in ſaphenis fit ſectio non admodum profecerit, ad oppoſiti cubiti uenam deueniatur. Quod ſi hæc quoque minus uiuerit, collateralis ſecetur, quæ ſecandarum uenarum poſtrema eſt, quæ ſi nec adhuc proficua (ut quandoque licet raro) contingit, propter prauæ materiæ renixum extiterit, tandem loci dolentis appoſita cucurbitula ſcarificatio fiat. Hinc manifeſte apparet quàm recta, quàm prudens, quàm fecunda ſit hæc curandi ratio, ac quàm ſecuro calle hic operandi modus incedat, contra uero quàm præceps inconſulta've Galeni uia, quàm præpoſtere ab ultima euacuante ſanguinis misſione curationem incipiat, quæ ſi minus eam fortuna iuuerit, nihil prorſus in theſauro reconditum habet, quum omnem penitus uel poſtremam impenderit pecuniam. Quò fit ut nihil aliud ei agendum amplius ſuperſit: præter id quod inter initia faciendum fuerat.

Cap. VI. de fibrarum rectitudinis opportunitate.

Vnc quoniam paulo ante de fibrarum rectitudine, ſiue de eo quòd cataxim Hippocratis nominat, aliquantiſper mentionem fecimus. Nonnulla hercle de ea à nobis plane dicenda eſſe arbitrati ſumus. Mox ad id q̃ eſt obiectorũ aduerſantis reliquum ſtatim redibimus. Hanc ſanè rectitudinẽ noſtra hac tempeſtate tanti quidam faciunt, ut ſine ea quicquã fieri non poſſe exiſtiment, nullamq́ ubi ea non ſit recte ſecari uenam poſſe contendant, at nec ego magni eam quippè momenti plurimumq́ hoc in negotio faciendam eſſe negauerim. Potisſimum quum deriuationi, aut proprii laborantis membri euacuationi ipſam admodum inſeruire non ſim neſcius. Verum qui ita eam cunctis in rebus colunt, tum ueterum authoritate, tum ratione ipſa eius perpetuam

neceſsitatem

neceſsitatem totis eorum uiribus ſuadere conantur, authoritate in quàm primo, per ea quæ Gal. ad Hippoc. mentem in libro de ſecanda uena abunde dixit: Quod tum in reulſione, tum in deriuatione (id quod deinceps de euacuatione etiam perpetuo intelligatur, quando deriuationem nominabimus) hac probè ſeruata cataixi, maximum atque uelox ſubſequatur iuuamentum. Contra uero ipſa deſpecta, aut nullum, aut obſcurisſimum certe, commodum ſuccedat, id quod per lienis affectum ipſe demoſtrare conatur, nam quum ab eo forte reuellere uelimus, manusq́ ſiniſtræ ad medium digitum uenam ſecuerimus, non id profecto ſperatum bonum euenire conſpicimus, ac ſi einſdem brachii uenam ſecaremus, accideret: Id quod forte non niſi alicui exquiſitæ rectitudinis defectui aſcribi poteſt, contra quòd tamen Galeni dictum nonnullæ inſurgunt difficultates. Primo ſi iſthæc brachii ſiniſtri uena ad reuellendum à liene tam commoda eſt, quanam igitur deinceps (ut propria) quum deriuare ab eo uolumus, utemur? profecto igitur alia multo huic officio cõmodior dabitur uena, aut hac in re tam neceſſaria NATVRA DEI glorioſi miniſtra plurimum defecit, amplius (ut a nobis toties iam dictum eſt) quonam pacto in una eademq́ differentia reuellere conceſſum eſt? Item quòd dicat, ſi ad medium digitum ſiniſtræ manus ſanguinis misſio conuertatur non conferre, aut tarde, id quod (ut ſupra dixi) ei quaſi proportione reſpondet, uidelicet q̃ in coxendico dolore ſaphena interius ſecta parum aut nihil preſtare, ubi exterius pedis uena ſecta plurimum iuuare cernimus, nihil profecto eſt, quia in eo coxendico dolore poſitionis differentia omnino uariatur. At hic in lienis affectu in manu ſiniſtra eadem penitus differentia remanet, ideo tam quæ brachi, quàm quæ manus eiuſdem, & prodeſſe & nocere poteſt, prodeſſe quidem in congruo tempore ſcilicet fluxa materia, nocere uero, fluente adhuc humore, ſic nanque non eſt à morbo auertere, ſed ad ipſum protinus conuertere, ubi reuellendum fuiſſet. Quia ſi quæ ad medium digitum non iuuat, id non minus faceret in brachio eodem diducta tunc uena, quoniam eo caſu magis eandem differentiam euitare debemus, quàm anxie rectitudinem perquirere. Præterea apud Auiçennam qui nec Anatomes, nec eorum quæ uſu habentur expers erat, in lienis affectibus, utræque tam maiores quàm minores (ita ipſe eas appellat) ſecantur baſilicæ. Ac ſi de rectitudine non uſquequaque & ſemper conſideratio habenda

ſit:

ſit: Hæc obiter dicta ſint, ad Galenum rurſus accedamus. Quod ipſe in reuulſione declarauerat proſequens idem quoque in deriuatione ſeruandum eſſe oſtendit, ut rectitudo etiam in ea ſeruanda ſit, propter id quod in pleuriticis uiſum eſt, nam quæ è directo laborantis adhibita fuit ſanguinis miſsio clarisſimam ſæpe utilitatem nobis adduxit, quæ uero ex brachio oppoſito aut penitus obſcuram, aut certe poſt temporis interuallum, addit quoque hoc eſſe Hippocratis uniuerſale præceptũ cathixim uidelicet prorſus ſeruandam eſſe tam in deriuatione, quàm in reuulſione. Quòd & in pleriſq; morborum affectibus oſtendere conatur: ut unuſquiſque per ſe ipſum uidere poteſt, quibus in adductis per eum morbis apparet quòd in utroque euacuandi genere Galenus ad Hippocratis mentem per rectitudinem atque per uenas communes ſanguinem perpetuo mittendum eſſe præcipit, id quòd non minus ad Glauco. ſecundo affirmauit, ibi quum dicit, fluentium humorum retractio (ſic enim Hippocratis nominat) eorum autem quæ iam membrum obſederunt deriuatio medela eſt: Vtrunque autem euacuationis genus per communes uenas fieri præcipit Hippocrates idem non minus inde conſtitutione art. med. aſſeruit, atque ſecundo de ratio. uic. in acu. com. x.

Hactenus qui Hippocratem Galenumq; ſimul adorant, de iis ambobus authoribus locuti ſunt, in quorum ſententiam deinceps Auicennæ authoritatem ſtudioſe quidem trahere conantur, ubi primi quarta inquit, in auerſione conſenſum omnino ſeruandum eſſe, ut menſibus confertim erumpentibus & quæ ibi. At uero hac in re maiorum authoritate non contenti rationem ſubdidere. Hi maxime qui Galenicæ ſectæ principatum ſibi uendicarunt, qui à Galeno ſecundo de facultatibus naturalibus nihil declinantes dixere. Quòd omnis ſanè actio quæ motu efficitur per ſtaminum atque filamentorum ſeu uilorum habitum fit, ſiue ea actio animæ ſit, ut in neruis ſiuæ naturæ, ut ingula, cæteriſq; inſtrumentalibus uocatis membris, uenas autem duplicem filamentorum ordinem habere Galenum pro comperto habuiſſe referunt: Tranſuerſorum ſcilicet, & rectorum. Quòd autem tranſuerſales uili expulſioni dicati fuerint, ſicut recti attractioni nemo eſt qui dubitet, quam ob rem probè hæ iam dictæ operationes perficiuntur, quum huiuſmodi filamenta quas etiam fibras appellant, membro à quo attrahere uolunt, continua exiſtunt, ſic perpetua atque prompta operatio conficitur. Secus autem inepta, atque inexplicita dubio procul

procul remanet, quam ob rem in dextram pleuritide per baſilicæ dextræ ſectionem facilem admodum fieri attractionem, quum huiuſcæ baſilicæ filamenta ad coſtarum interna huius lateris pertingunt, quem locum ſiniſtræ baſilicæ ſtamina minime attingunt, ſed ad coſtas tantum leuas eorũ inceſſus perueniunt, nec perfectos ſuos reſpectu dextræ partis abſoluunt circulos, ſed tranſuerſæ potius, quos tamẽ integros in ſibi propria leua abſoluũt parte, qua ratione, & dextra reſpectu ſuæ ſubditæ partis dextræ rectos abſoluit, & reſpectu ſiniſtræ tranſuerſæ hinc in inflammatione dextra per baſilicã dextram prompta faciliſq; efficitur ſanguinis misſio. Id quod difficulter per ſiniſtram efficeretur, idem & in ſiniſtra pariter inflammatione contingeret, ſeruata in eis proportione, quibus ita ſtantibus, plurimum euidens inſurgit ratio, uidelicet quum medicus naturæ æmulus ſit, eiq; ſuccurrere ſtudioſe intendat, & quàm citius posſit eam à morbo leuare, per illos quos ea ſibi parauit inceſſus progredi debet. Eiſdemq; non minus inſtrumentis uti, atque filamenta illa uenarumq; coniugia, quæ illa ſibi ad finem ordinauit, ab ea quoque mutuare debet, ſed hoc probè fit, quum rectitudo in cunctis ſeruatur rebus, atque per coniuges uenas in huiuſmodi actionibus inceditur. Per aduerſum uero non ſine iniuria ipſius opus efficitur: Ergo medicus, ſiue reuellet, ſiue euacuet hanc rectitudinem, hoc coniugium, ueluti ſingulare præſidium perpetuo ſeruare tenetur: Sic nanq; fœliciter omnia ſuis ſuccedent uotis, per rectitudinem nanque tentata actione uenæ ſua præſtabunt ſtamina, atq; ita ea quæ educenda fuerat materia leniter atq; ſuauiter omnino egredietur, per coniugium quoque uenarum, atq; per affinem locum, eo conſentiente facile lædens humor reuocabitur, id quod non fieret, ſi nulla inter affectum membrum, & ſectionis locum necesſitudo atque affinitas intercederet. Nec ſecus illi contigeret (ut ingenioſus inquit amicus noſter) hanc pro Galeno pugnam ſuſtinens, ac ſi Aphricano Scipioni Hannibalem ab Italia per Aſiam auertere uoluiſſet, id quòd planè ſibi proſpere non eueniſſet, ueluti contra fœliciter admodum ſuccesſit, quum illum per Aphricam coniugem ſibiq; affinem auocauit: Hactenus (ni fallor) horum mentem exacte declarauimus. Verum licet ea ex antiquorũ penetralibus exierit, mihi attamen nunq̃ ſatisfacere potuit, tã forte mea pinguis eſt Minerua, aut placitũ hoc uoluntariũ nullaq; ratione prodiit, quum ii maxime effectus reuulſionis, & deriuationis contrarii prorſus exiſtant, idem nanque ſecundum

idem ad contraria æque promptum eſſe minime rationi ac na-turæ moribus reſpondet: Quinimmo materia ipſa prima quæ tantopere contrariis patere ſolet, quum in potentia æquali ad contraria eſſe poſſit, ipſa tamen (& ſi potentiarum ſimultatem aſ-ſequatur) ſimultatis attamen potentia minime obtinere ualet: Ex quo nullam ſiquidem huiuſmodi facultatem acquirere poteſt, qua uidelicet duo ſimul contraria recipere queat, ſic ut eo tempore quo diſpoſitiones habet, pro una forma, pro eo met etiam ſui con-trarii diſpoſitiones habeat, hoc ſanè uno priuatur materia, quo niam purum eſt impoſſibile, quòd ſi hoc ei de qua credibilius foret, non eſt conceſſum, quinimmo nec ſenſui, nec intellectui per-miſſum eſt, ut nos docuit philoſophus, quòd ſimul actu in con-traria minime exire poſſit, quanto minus alicui particulæ huma-næ attributum hoc fuiſſe credendum eſt? nimirum quod ſuis eiuſdemq́ met inſtrumentis in contraria actu exire poſſit, quam tamen (ut probabilem) hic ſpeculantibus rationem relinquo at ꝙ rationi conſonum mihi uidetur, hoc nimirum exiſtit, quod quo-ties natura conueniens aliquod ad ſe attrahere, noxium uero à ſe expellere intendit, illiſq́ pro ſuis exercendis functionibus quæ ſi-bi parauit inſtrumentis puta fibris tum rectis, tum tranſuerſis op-portuno utitur tempore: Et eodem etiam modo forte medicus quã do cũ natura ipſa in fine ſuo conuenit, ſi eiſdem pariter inceſſibus cũ ea proceſſerit, huiuſmodiq́ fibras ab ea mutuo acceperit, tunc ſecun da quippè ac proſpera fieret nauigatio, nulla ei proſſus illata iniu-ria atque uiolentia, hoc autem potiſſimum eſſet, quũ deriuandi, at-que pure, ſimpliciterq́ euacuandi opportunum iam uenerit tem-pus. Verum ubi medicus cum naturæ errantis fine non commu-nicauerit, quinimmo ei ex toto aduerſari intenderit, ſecumq́ lucta-ri deſtinauerit, quòd eiſdem inceſſibus eiuſdemq́ met auxiliis eo tempore uti debeat, nec uerum, nec rationi conforme mihi uide-ri poteſt: PEREAM ſi hoc tam magnũ ſectæ Gallenicæ Axio-ma, maximum eſſe monſtrum non putem: Neſcio quis bonus ma-lus've dæmon, tam graue hoc erratum ſapientibus ita firmiter ſua ſerit, cuius ratione, ut eum defendant, Dii boni, in quot ua-nitates ſunt collapſi, rerum nomina impudenter commutant, ope-rationes transfugas atque peruerſas efficiunt, & denique à me-dendi norma deflectunt, ego autem non is ſum qui illis credam qui nobiſcum ſentire magis uidentur, qui ſeruandam omnino recti tudinem in deriuatione ſimulq́ in euacuatione aſſerunt, qui rectius ſanè

ſanè loquentes in reuulſione minime ſeruandam putant: Rectitudinem quidem intelligentes, eam quam ingenioſe mathematicam appellant, quæ ſcilicet in eadem poſitionis differentia exiſtit. Hanc planè in illis tantum duobus ſeruari uolunt. Quam ſanè ita mathematicam in reuulſione ne dum ſeruari nolunt, ſed eam omnino abhorrent, quinimmo eius loco poſitionis contrarietatem reuellentes, ſumme diligunt uenarum coniugium in ea tamen obſeruantes, & hanc non mathemamaticam quippè ſed alterius rationis placito ſuo nuncupant rectitudinem naturalem, uidelicet quòd à coniugio naturali pendeat, in oppoſita licet actio efficiatur parte, atque differentia, ubi prima ſcilicet rectitudo mathematica haberi non posſit, itaque rectitudinem æquiuocam faciunt, unam mathematicam, quæ in eadem eſt poſitionis differentia, aliam uero naturalem à uenarum coniugio ſumptam, in oppoſita licet exiſtat differentia, at quanuis ii ſic dicentes uiri admodum docti ſint, eorum tamen pace ſua iſthæc uerba non rectè dicta eſſe mihi uidentur, nam præter hoc quod extremam & neceſſariam, quæ à ſaphenis fit phlobotomiam perimãt, & grauisſimis authoribus ſine ratione, ut Auicennæ & Meſ. contradicant, quorum hic quidem oppoſiti cruris, ille uero eandem quæ è directo eſt patientis lateris ſaphenam in morbi principio incidi iubent, falſum etiam dicunt. Nam oppoſita ſaphena quanuis rectitudine careat, tum mathematica, tum naturali: Reuellere tamen maxime poteſt, quæ uero in directo fit crure, quoniam coniugium non ſeruat, licet mathematicam tantum ſeruet, idem quoque poteſt efficere, quanquam ſanè ea rectitudo ſuſpicari nos facit, quòd illius uenæ ſectio à uero ſuo extremo & ſimpliciter reuulſiuo omnino deficiat, atque potius uerſus medias uergat phlobotomias, quàm ad purum utrunque in tali genere extremum, ut deberet, tendat, proinde Auicennæ opinio ex extremis collateralem eligens, cuidam potius bonæ ſpei atque confidentiæ correſpondet, Meſ. uero placitum rationi candidius inhæret, ut infra oſtendam, ſi perſonarum omnino rationem, ut in diſputationibus Platonis præcepto agendum eſt, reiicimus. Alioquin in nube, atque atra authorum caligine inuoluti ueritatis ſplendorem cernere non poterimus, non abſimilesq; iis erimus, qui amiſſa oculorum acie, ab infirmo baculo ducuntur. Quo magis etiam à ratione deflectere uidentur ii de quibus paulo ante diximus, ꝙ ſanguinis misſionem tam ſalutiferam ex utrisq;

ſaphenis deſtruunt: Atque immature in pleuritide per initia morbi ad oppoſiti brachii uenam earum ſaphenarum uice confugiunt, id quod nouum eſt frequenter, & deterius excitare malum, quum nouum aliud in ſuſpectiori loco apoſtema inſurgere ſæpenumero uiderimus. Cuius tamen phlobotomiæ ita remotæ neceſſitatem (ni fallor) in comentariolo digito monſtrauimus. Cuius nempe rei, & hic rurſus quantum locus exigit pro rei oportunitate aliquid modicum dicemus. Item terminos ii corrumpunt, ex quo coniugium & rectum (ut putant) non idem referunt. Diſperati omnino quum ſint termini cuius ſignum eſt. Nam Auicēna primi quarta, dum in remotione materiæ à ſuo loco conditiones oſtendit, inter alia uenarum coniugium, ut quoddam à rectitudine diſtinctum enumerat, atque præter eam ſeruandum eſſe uult, quòd modo ii coniugium hoc ipſum naturalem appellent rectitudinem. Aliam uero ſcilicet directionis aſpectus rectitudinem, mathematicam. Profecto me non parua in hoc capit admiratio, quum eædem nimirum ſint naturales & mathematicæ lineæ: nullaq; inter has alia ſit differentia, niſi quòd ea quæ ut in materia conſideratur naturalis eſt: quæ uero ab omni ſenſibili materia abſoluta mathematica dici debet, conſtat autem hanc à medico rectitudinem non alio pacto conſiderari, niſi ut in dextera V.G. aut hominis ſiniſtra fundata parte fuerit: & ita omni exceptione remota rectitudo, de qua nos intendimus, naturalis non mathematica eſt: Quod autem hoc uerum ſit. Hanc uidelicet rectitudinem à coniugio ſemotam eſſe, nec inuicem coire poſſe. Ex hoc potiſſimum conuincitur, quod ad diuerſos impermiſtosq; prorſus fines hæc nata eſſe inſpicimus, ſi huius penetralium artis exploratores exquiſiti eſſe uoluerimus, ut paulo poſterius commoſtrabimus. Quòd ſi (ut nunc ſupponimus) utpote ſtatim declaraturi diuerſos rectitudinis, & coniugii eſſe fines non inuicem coincidentes conſpicimus, adeò ut ſuo tempore eorum ſinguli opportuni ſint: nam alioquin non conuenirent, ſequens eſt, ut unus pro alio non ſit eligendus, quòd ſi contra fieret, non niſi cum uitæ diſcrimine id tentari poſſet. Quod ſi res ita ſeſe habeat, quonam igitur pacto rectitudinem in coniugio confundemus? Verum hoc iis accidiſſe hominibus alia de cauſa non putarim, niſi quòd negotium de ſanguinis miſſione non probè ſatis dignouere. Horum autem diſtinctio nempè tum rectitudinis, tum coniugii ex ambarum finibus luce meridiana clarius

apparet,

apparet, id quod ex hoc facile eſt uidere. Nam ubi deriuandi ido-
nea acceſſerit hora, in inflammatione uidelicet coſtæ dextræ: ut
pote quod tota ad eam fluxerit materia, legitimumq; tempus ſit
eiuſdem lateris baſilicam ſecare, quàm ſimpliciter phlobotomiam
omni reuulſione amota euacuatiuam appellamus, ut ſuo monſtra
uimus loco: uerum ipſa ſe noſtro non ſubiiceret ſenſui, nec Gale-
nus, nec Auicenna, minusq; Raſes ſiniſtram baſilicam propter eius
affinitatem, atque propter earum coniugium eligendã præcipiunt.
Quinimmo eo caſu rectitudinem directi aſpectus præeligunt, ita-
que potius aut mediam, aut cephalicam dextram in eadem regio-
ne correſpondentem accipiunt, & ita ubi deriuandi conueniens
tempus fuerit, rectitudo planè ſecundum hos ſapientes coniugio
longe præualet, ſicut contra quum non tota fluxerit materia, ſed
partim fluxa, partim fluxura ſit, coniugium pariter rectitudinem
antecellit, quum igitur iſthæc uenarum ſectiones, fines diuerſos
diuerſaq; inſequantur tempora, incomparabiles utique exiſtunt,
ita ut una altera melior dici non poſſit, nec una pro alia accipien-
da ſit, ſed earum ſingula ad ſuum proprium tempus, ſuumq; re-
lata finem congrua optimaq; eſt, & ea ſola tunc perquirenda,
& non alia, & ita apparet rectitudinem modo coniugio præferri,
modo contra: Hac ratione Galenus in libro de uenæ ſectione in
lienis diſpoſitione pluris facit: Siniſtri brachii baſilicæ ſectio-
nem, quàm eius quæ in extrema manu eiuſdem ſiniſtri brachii
ad medium digitum eſt, non propter coniugium, ſed propter eius
maiorem (ut arbitror) rectitudinem: Id quod ei proportione
reſpondet, quod dicit Auicenna primi quarta quòd in coxendico
dolore ſecta in ſilueſtri parte uena maioris ponderis iuuamentum
affert, quàm domeſtica ſibi ſocia ex quo per domeſticæ partis ſe-
ctionem non aſpectus rectitudo ſeruatur, quòd ſi quis contende-
rit ſeruatũ fuiſſe aſpectum adminus nõ eam quæ cum morbo com-
municat uenam id quod ad eorum mentem refero ſatis mihi ſit,
hoc ſaltẽ ex eorum dictis conuiciſſe, quod aſpectus rectitudo, con-
iugii affinitatem antecellat, ſicut contra in reuellendo coniugiũ
rectitudinem ipſam antecellit, id quod de eorum plurima inter
ſe diuerſitate nobis maximam ſuggerit fidem. Probè autem dixi
rectitudinem coniugium ei deriuatione antecellere, quando ſcili-
cet tota fluxerit materia, quoniam ubi adhuc fluxura ſuperſit.
Rectitudo quidem tunc exacrabilis eſt, coniugium uero tunc ſum
me perquirendum. Quinimmo horum nullum aliquando deſide-
 ratur,

ratur, quum maxima ſcilicet reuellendi, dnntaxat eſt intentio, & materiæ quæ in inflammationis loco continetur, nihil omnino euacuare intendimus, quum propter eius exiguitatem non ſatis ſit medici mentem mouere, at hic dicet aduerſarius nos incongrue quidem hic Galenum adduxiſſe, ut qui eius mentem uiolantes authoritate ipſius abutimur, quoniam eo loci Galenus nimirum in libro de ſecanda uena, quum de affectibus lienis uerba facit, non de deriuatione, ſed de reuulſioſione intendit. Huic dico nobis ſatis eſſe, quod ab eius ore extorſerimus, rectitudinem in eadem differentia coniugio præualere. Nam quòd in eadem poſitionis differentia reuellere non poſſimus: licet Galenus oppoſitum uelit, nos alibi ipſum rationibus nondum ſolutis apertisſime reprobauimus. Ad id modo unde diſcesſimus redeuntes, dicimus ſalua ſemper ueritatis maeſtate iuxta ea quæ diximus, quòd quum deriuandi atque euacuandi à proprio patienti membro opportunum uenerit tempus, quando ſcilicet iam tota in apoſtrmatis ſede collecta fuerit materia, nihilq́ aliud agendum præter eius eductionem ſupererit, tunc non niſi per rectum mittendus eſt ſanguis, ſiue ab ipſo met membro, ſiue à proximo humorem educere uoluerimus, nam locus met & ſibi proximus eiuſdem ſunt differentiæ poſitionis, & ita eiuſdem formæ, ideo nobis ſpem actionis minime uariant. Sic autem nobis conuenientibus cum naturæ fine, ut & cum omnibus illius ingeniis, nulla ei inferetur iniuria, & fœliciter admodum opus ad finem deducetur, intelligendum tamen eſt quòd in deriuatione, tum natura, tum ars, proprios habent agendi modos. Natura nanque in ſuis ordinatis non in ſimptomaticis actionibus illis utique dictis filamentis utitur, quorum uirtute quum ipſa humoribus perfectè dominatur, omnes eius perficit operationes at ars in fine naturæ communicans dum euacuare intendit, & per illam eandem differentiam alio nempè utitur inſtrumento. Quum uacui facultate ſuum planè tentet opus: Et ita ſi iam dictæ fibræ pro naturæ actionibus, uel commodæ, uel neceſſariæ exiſtunt. Arti quidem non obſtant, parum tamen proſunt: Tanta quippè eſt uacui facultas, ut nullo externo egeat auxilio: Eapropter tantus de fibrarum rectitudine rumor in naturæ actionibus intelligendus eſt, quoniam ars illis non indiget, id quòd in reuulſione uidere licet, quum ipſi naturæ aduerſari intendimus. Quo nempè unico reuulſiuo auxilio frequentisſime ſanitatem reſtituimus: Et ita ea quæ

tunc

tunc accedit ſanitas ſine ullo prorſus ſtaminum adminiculo acquiritur. Quòd ſi ita eſt, non ne & deriuatiua phlobotomia in proximo directo've loco facta eius propria facultate id agere poterit? At hic uideo aduerſarios in nos irruentes, dicentesq́ annon ne imaginarie uir hoc nobis ſaltem concedes? (Negare quum minime posſis) quòd melius ad minus atque ocius opus perficietur his occurrentibus fibris, quàm uel eis non exiſtentibus, uel ſaltem reluctantibus? ſanè inquam id in naturæ actionibus ambigendum non eſſe, nimirum quod prōptior, uelociorq́ fiet operatio, ſi ſecundum filamenta efficietur, quàm ſi ſine illis fiat, ut quandoque irritata agere ſolet: At in operibus artis ubi in directo proximoq́ loco phlobotomia ui uacui attrahat, illis minime opus eſt. Nec hoc abſimile erit aſino ſarcinam, ſimulq́ muſcam gerenti, qui remota muſca ſarcinam, uel melius, uel nihilo deterius feret, ac ꝙ hoc uerum ſit ſenſus id nobis oſtendit, ut in exemplo per nos olim adducto licet uidere, quum in uini uegete canna impoſita per unicum uini hauſtum totum ſine fibris in breuisſimo temporis ſpatio educi uinum conſpicimus.

Libens tamen hic unum ab aduerſariis didiciſſem, dicunt nanque ad Galeni mentem quòd in pleuritide dextra V.G. in principio ſuccurrendum eſt, propter morbi acuitatem, cum eiuſdem lateris uenæ ſectione qua reuellit, ſimulq́ euacuat, uel igitur ea reuellit ſine fibris, uel cum eis, ſi cum eis id agit, uel eædem ſunt cum illis quibus euacuat ita & eædem ad diuerſas immo contrarias functiones ſimul in eodem tempore ualeant, uel potius inter ſe diuerſæ ſunt, ita ut earum nonnullæ reuulſioni ſeruiant: Aliquæ uero non reuulſioni: ſed ſibi contrariæ ſcilicet euacuationi auxilientur: Non eſt dicendum ſecundum eos, deriuationis opus fieri ſine eis, quas tanti faciunt, minus cum illis quæ utrique inſeruiant, quia ut ſupra diximus hoc eſt imposſibile, præterea nec per diuerſas id fieri dicendum eſt: Nam quod per naturam in una baſilica reperietur, in alia quoque inueniri oporteret, nimirum quod haberet fibras alias euacuantes, alias reuellentes a membro. Quam ob rem quod in una eſſet baſilica, pariter in alia reperietur: igitur in pleuritidis principio æque una erit idonea, ac prompta, & expedita, ut ſecetur atque altera: Nihil planè intererit hæc an illa ſecetur: Quam rem nonnulli affirmare auſi ſunt, uerum huius ſenſus non fuere Galenus, & Auicenna qui unanimis uotis fatentur plurimum referre, una prius an alia diducatur uena. Quan-

uis in ipſarum electione & ordine, quænam ſcilicet prior, quæ've poſterior eſſe debeat, inter ſe diſcordes ſint: Hactenus ergo habuimus, quod in reuulſione quam ars ipſa naturæ operibus obſiſtēs efficit: Illis nequaquam auxiliis indigemus quibus utitur natura, ſed contrarietate atque diſtantia, ueluti eſſentialibus, atque ad hoc inſtitutum neceſſariis, quinimmo dicimus in corpore plurimum repleto: Non unicam quippè nobis ſufficere contrarietatem ſed duas plurimum neceſſarias eſſe, ut infra in uariis morbis etiam ex antiquorum authoritate aperte oſtendemus. Nulla igitur prorſus rectitudo, nec mathematica, nec naturalis, ut externis utar uerbis, ſi recte inſpicimus, ad hoc agendum munus nobis neceſſaria eſt.

At quiſpiam forte dicet, nunquam tantam eſſe elongationis atque multiplicandæ contrarietatis neceſsitatem, ut rectitudinem ſeruare non debeamus. Contra hoc, tribus ad præſens inſtare ſemitis intendo: Primo naturæ inceſsibus, cuius ars æmula eſt, ſecundo ratione à fine agentes ipſos ſemper cogente, atque à terminorum complacentia, aut eorum repugnantia, ultimo à curandi modis ab authoribus inuentis. Quo igitur ad primum ab inceſsibus naturæ occaſionem ſumens, illos tum in naturalibus, tum in præternaturalibus contemplabimur, an ſcilicet natura ipſa ſuis in agēdis operibus rectitudinem diligat, perpetuoq; illam obſeruet, an non, & planè contrarium uidemus. Nam interdum rectitudinem nonnunquam obliquitatem diligere ipſam conſpicimus: eatenusq; illis eam uti uidemus, quatenus eius finibus conducunt: Qua ratione etiam in humani corporis ſtructura diuerſo creatas modo partes hanc quidem rectam, illam uero obliquam uidere licet, prout cuiusq; operatio (quæ finis eſt) expoſtulat. In auribus enim natura ipſa ſinuoſas efficit flexiones, ne aer cerebro patienti, ac recto aditu ſubito occurreret: Amplius miro quodam ſtudio inteſtinis reuolutionum ambages induxit: At nec ignota nobis eſt ipſius omnium opificis induſtria, qua in poris uocatis uriticis uſa eſt: ne eorum oſcula ueſicæ foraminibus per directum reſponderent, atqui nec in morbis ipſam perpetuo rectitudinem ſeruare conſpicimus. Nam ut in primo olim diximus commentario, exuberante plurimum materia, ipſam quandoque uidemus per oppoſitas eiicere regiones, nulla rectitudinis atque fibrarum habita ratione, ut per pulmonem, per nares, hemorroidas, per menſes, ac per regiones alias, id quòd in Pyrrho Reuerendiſsimi Cardin.

Mantuæ

Mantuæ euenit, huic nanque hepatis inflammatione laboranti ſanguis ex ſiniſtra nare effluebat: Amplius quum in dextrarum coſtarum inflammatione, pleno exiſtente corpore, ſanguis omni ex parte ad latus dextrum influit, quonam igitur pacto ſecundum eius ſingulas partes natura ipſa ad hunc unicum terminum tranſmittens rectitudinem ſeruat? Huic nos addimus propter agendi modum conformitatem unum quod ad artem pertinet, quum inquiunt ex medicis complures, cum Auicenna unanimis uotis quòd apparentibus per uniuerſum corpus morbillis aut uariolis, eo caſu uenæ ſectio tentanda non eſt, ne materiam ad uniuerſam cutim ſparſam rurſus ad uenas nobilia've membra retrocedere faciat, quonam igitur pacto ſecta in dextera parte uena, per uniuerſum ita ocisſime agitur, quum profecto ad ſingula corpus membra iſthæc phlobotomia rectitudinem habere minime posſit.

Alia non minus propoſitum monſtremus uia, uerum in primis ſubtili quodam ſtudio à nobis inquirendum eſt, qui nam in apoſtemate, de quo uerba facimus, phlobotomiarum uniuerſi fines eſſe posſint, quibus pro eius curatione uti debeamus, & ſanè ut huius quintæ ſummæ capite ſecundo abunde dixi, præter tres alii qui à ratione prodeant, inueniri non poſſunt, primò nanque in morbi principio fluente materia, modica uero iam fluxa, reuulſionem quidem duntaxat, non euacuationem quærimus, nam quæ iam fluxit, modica quum ſit, de ſui hercle euacuatione non indicat, ut ab auſpicatu rei diximus: Sed ea quæ ad fluxum propenſa eſt: ad ſui reuulſionem medici ingenium ſumme prouocat. Huius nanque fluxum prohibere omnium prima eſt intentio, ut v. & xiii. methodi, & artis medicinalis tertio, dicit Galenus, at quum multa, & in diſtantibus locis ſit, huius ergo phlobotomiæ ſcopus eſt, non materiam actu dolorem facientem euacuare, ſed fluxuram reuellere tantum: Si enim nihil ab inflammata parte educere, ſed fluentis ſanguinis motum retrahere, & cohibere duntaxat intentio eſt, ſequitur ut ea ſanguinis misſio ſolum ac ſimpliciter reuulſiua dici debeat, cuius contrarium diametrale eſt deriuatiua ſimpliciter, omni reuulſione ſemota, quam non minus euacuatiuam ſimpliciter uocauimus, utpote eius uicariam. Huiuſmodi autem prima phlobotomia reuulſiua, quum loci materiam non reſpiciat. Tria duntaxat eſſentialiter expoſtulat, primum

mum ut eiuſmodi, atque eo loci fiat, quæ materiam in dolente loco contentam non educat. Ex quo ſecundum ſequitur, nempè ꝙ ſi locum euacuare non iutendit, ergo non quidem proxima, ſed diſtans eſſe debet: nanque hoc pacto licet ab affecto loco remota ſit ei tamen humoris portioni proxima eſt, quæ fluxura erat: Tertio ut ſi in dextra parte effectus cœperit, ea in ſiniſtra fiat, ſicut enim ex Hippocratis & Galeni mente paulo ſuperius citatis locis uidimus. Quum inflammatio in ſuperioribus eſt, uenæ ſectio in inferioribus fieri debet, & è contra, ita ſi in dextris ſit & in ſiniſtris, quum humores etiam non minus ad dextrum quàm ad ſuperius rapide moueantur facienda eſt, non enim hic ſatis hercle uidere ualeo. Si ad contrarium trahendi ſint, & contrarium ſit non ſuperius tantum, nec dextrum tantum, ſed utrunque ſimul, cur non ſimul & eos debeamus per ſiniſtrum atque per inferius retrahere? Si potisſimum reuellendi ratio ab ipſa contrarietate ſummitur? Quòd autem in repleto corpore, morbi materia per diuerſas contrarietates ad unum quandoque membrum accedat. Nos uſu frequenter euenire cernimus fluente igitur materia ad ſuperiores coſtas dextras, optima quippè à principio illa erit phlobotomia reuulſiua, quæ nihil à parte dolenti euacuat, & tam per inferius, quàm per ſiniſtrum humores retrahit. Non enim ubi uerisſima eſt contrarietas, potisſimaq; diſtantia reuulſionem ibi imperfici, ſed potius perfectisſime conſtitui credendum eſt, quum hæ, eſſentiales illius conditiones exiſtant, quare ita ſe habente, nempe quod incohante in dextris ſuperioribus coſtis inflammatione, maxime ad eas tunc fluat materia. Nobis uero per inferioris ſiniſtræ uenæ ſaphenæ ſcilicet ſiniſtræ ſectionem optime eam reuellere liceat, liquido conſtat utranque rectitudinem, tum mathematicam, quæ è directo reſpondet, tum eam quæ à coniugio pendet, non ſeruari. Quis ſanus igitur intellectus hic à nobis falſa inopinabilia ac pugnantia dici intelliget, nullus me hercle quinimmo contra audiens, quòd currentibus humoribus à principio ad eas coſtas, quiſpiam illum tentans locum per eandem quoque regionem materiam educere uelit, plurimum admirabitur inquiens. O Iupiter ſtupidos quos tanta dementia cepit. Verum & ſi aliquando fluentibus humoribus & ad ſuperius, & ad dextrum, una tantum contrarietate contenti uideamur, ut magno placuit Auicennæ eiuſdem rectitudinis ſaphenam ſecanti, non eſt quòd uerum non

decli-

declinet iter, ac quod ſaphena oppoſita quæ legitimum magis, & uerius contrarium eſt, iure potius eligi non debeat ſed id ea de cauſa fit, quia in naturæ operibus, quandoque minimum confidimus. Nempe quòd per unicam ſaltem contrarietatem ab onere leuata artis demum defectui ſupplens ſe omnino abſoluere ualeat, quanuis in pleuritide atque in angina ipſam non ſatis fuiſſe pluries cum clariſſimo Antonio Capriana uiderim. Quòd ſi nos conſulto quidem ita in inferioribus faciendum eſſe duximus, quod nam mirabilius hoc eo eſt, quod multi ex illuſtribus patribus noſtris docuere? Qui in ſupernis partibus una non contenti contrarietate, poſthabitis, & rectitudine & coniugio in morbi initio ad legitimum uerumq; contrarium pertranſiere, quanuis illi tamen potiſſimum puriorem nobiliorem 've per ſuperna eduxerint ſanguinem, illam hic nunc pertranſeo difficultatem: An quæ in ſaphena fit uenæ ſectio, magis uires deiiciat, quàm quæ à ſuperioribus petitur membris, clarè igitur patet, quòd in huiuſmodi prima phlobotomia rectitudo omnino excluſa manet, quum potiſſimum contrarietatum omne in ea deſideratum genus ipſam tollat, auferendæq; per eam materiæ quæ in inflammatione continetur appetitus longe abſit, & eo tempore rectitudinis oppoſitum ei magis quàm rectitudo inſeruiat, nempè ſic fluctionis humorum inhibicionem, quam ab huiuſmodi uenæ ſectione deſideramus, optime aſſequimur, duo quoque commoda exoptanda inſurgunt, prohibetur enim reuulſus humor ad affectum locum relabi, commodus deinde, quin & ſinuoſus ac non rectus paratur locus, quo ſemel iam retracta materia ob eius capacitatem & flexuoſitatem compræhendi, detineri've poſſit, cuius ſanè materiæ maxima poſt hanc uenæ ſectionem quæ omnino parca eſſe debet adhuc portio relinquitur. Horum primum Auicenna nobis inſinuare uiſus eſt, quum quarta primi inquit, & attendenda eſt omnino diſtantia, ubi nanque de prope materia duceretur, ei facilis nimium rurſus eſſet relapſus, à quo diſtantia, & flexuoſitas abſque rectitudine nos tutantur, alterum ex hoc conuincitur, nam quum ultima & deriuatiua phlobotomia ex eius proprio munere ſanguinis multum educere teneatur, iuxta Galeni dictum quarto de ratio. uic. in acu. Comm. LXX. & ſecundo eiuſdem comm. X. ubi inquit, quòd ſanguis plus educitur à pa-

tiente

tiente loco, quàm à reliquis corporis partibus, contra hæc parca admodum eſſe debet, qua ratione etiam Auicenna in reuulſione phlobotomiæ foramen ſtrictius eſſe præcipit quàm in deriuatione, quia tenuuiorem, minusq́ affectum educit ſanguinem: neceſſaria igitur ſanè eſt multa loci capacitas atque amplitudo, quum in paruum locum multum trahi atque in eo locari non poſſit: At in cunctis æqualitate ſeruata, ſinuoſa flexuoſaq́ loca capaciora rectis eſſe nemo eſt qui dubitet, ergo rectitudo tantum abeſt ut ei conueniat, ut etiam plurimum incongrua ſit. Quam ob rem nos hoc pacto arguere poſſumus, prima iſthæc phlobotomia reuellens ſimpliciter ſine rectitudine utrouis modo accepta, atque abſque fibrarum auxilio, quinimmo cum obliquitate & diſtantia & contrarietate exiſtens, ſuum probè aſſequitur finem, ergo nec huiuſmodi rectitudo, nec illæ fibræ ei prorſus neceſſariæ ſunt.

Hactenus primæ phlobotomiæ ſimpliciter reuulſiuæ inſpecto fine, nunc ad aliarum fines pertranſeundum eſt, ſanè ubi ægritudo ſuum pertranſierit principium, iamq́ plurima in apoſtematis ſede procubuerit materia, copioſaq́ adhuc fluxura ſit: Alia prorſus à priori planè diſtincta inſurgit intentio: Reuellendi ſcilicet, ſimulq́ euacuandi ex Galeni præcepto art. med. tertio, atque methodi xiii. ergo niſi naturæ uitio in arte defectus contigerit, etiam id phlobotomiæ inſtrumentum dabitur eam petens uenam quæ utrique ſeruiat inſtituto, reuulſioni nimirum fluentium, & fluxarum euacuationi. Huiuſmodi autem ea ſola eſt, quæ per coniugium eſſentialiter poſthabita rectitudine efficitur: Hæc nanque in oppoſita parte per directum ſita quum ſit, neceſſario quippè reuellit, minorem tamen diſtantiã habet quàm prior quum diminuta etiam ſit in ea reuellendi intentio (ſicut contra) qui prius non aderat, in ipſa euacuandi ſcopus obortus eſt, uidelicet ab apoſtematis ſede iam aliquid extrahendi, iccirco patienti loco ipſa iure proximior eſſe debet, ut duo iſthæc omnino ſimul efficiat.

At quis hic non immerito dubitabit, quum reuulſio per diſtantiam, & per contrarietatem: Euacuatio uero non niſi per proximum atque per rectum, & conueniens efficiatur, ergo iſthæc phlobotomia ab initio morbi paulo plus elongata quæ partim reuellit, partimq́ euacuat (ut dicitur) diſtans erit, & proxima, itẽ contraria

erit

erit,& conueniens,uerum huic dubitationi ſupra abunde ſatisfactũ eſt,quam ob rem ſuperuacuũ exiſtimo illius diſſolutionẽ repetere.

Ad noſtrum redeamus, patet igitur, quàm huic ſecundo phlobotomiarum fini non rectitudo, ſed in contraria differentia poſitum coniugium, ut reuellat, & euacuet, eo quo diximus modo ne dum opportunum, ſed ſumme neceſſarium ſit, quòd ſi ſine rectitudine huius ſecundi modi phlobotomia ſuum probè aſſequi poteſt finem, non autem ſine coniugio,ergo ei prorſus neceſſarium eſt,illa uero rectitudo filamentorumq́ nexus minime congruit.

Poſtremo quum iam tota fluxerit materia, omnis planè reuellendi tam ſimpliciter quàm ſecundum quid intentio ceſſat: Nouusq́ alius tunc opportune phlobotomiæ inſurgit,finis materiam ſcilicet ab apoſtematis ſede penitus euellendi, amouendiq́,quam euacuatiuam ſimpliciter uel deriuatiuam uocamus, cui ampli foraminis uenæ diductio plurimum fauet, copioſa quin etiam tunc ſanguinis misſio, quinimmo (ut paulo ante dixi) quandoque ad animæ deliquium facienda eſt. Itaque ei rectitudo in primis atque loci expedita proximitas ſimul cum fibris ei plurimum fauentibus, uel ſaltem non reluctantibus, penitus neceſſaria exiſtit, ueluti per aduerſum, tum loci diſtantia, tum contrarietas ei prorſus incongruæ, impertinentes, immo & plurimum repugnantes exiſtunt, quod ſi ita ſe habet, ut huiuſmodi conditiones, tam neceſſariæ & tam eſſentiales phlobotomiæ deriuatiuæ atque extremæ euacuatiue conueniant, quis porrò tam mente captus eſt, qui & has eaſdem, uti neceſſarias in extremè contraria phlobotomia perquirere contendat?

Igitur quum phlobotomia deriuatiua, atque ſimpliciter euacuatiua congrue facta ſuum quippè ſine rectitudine, ſineq́ proximitate & differentiæ identitate finem aſſequi non posſit, ea ſanè dictis modo conditionibus indiget, quas aliis oppoſitos fines habentibus nequaquam conuenire putandum eſt, at ſi earum alicui forte conuenire uideantur, hoc eatenus accidit quatenus ab extrema euacuatiua deflectunt, quam ob rem tum finium ratione, tum terminorum complacentia, ſiue conuenientia liquido apparere poteſt, ſi rectitudo & proximitas & differentiæ identitas puræ euacuationi, & deriuationi, ut neceſſariæ & eſſentiales conueniunt, eaſdem reuulſioni minime congruere. Quam rem qui ita intelligit nullum (ut puto) repugnans nullum imposſi-

bile audit, aut in eius intellectu concipit.

Alia deinde nobis ſupereſt ſemita, cui ſanè natura imbecilles magis adhærebunt, nam me hercle omnibus eadem non inſunt iudicia, quum pleriq; homiuum potius authoribus, quàm rationibus & demonſtratiuis inhæreant, de quorum numero quoſdam ex principibus ſectæ agnoui, quod nimirum genus ad philoſophandum minime idoneum eſſe poteſt: Ad rem igitur accedamus, primum ab Hippocrate inchoantes, nonne poſteriora capitis dolentibus frontis uenam incidi iubet? Quæ nam hic ab eo ſeruata fuerit rectitudo, dicat aliquis quæſo, at quod maius eſt, nullum planè hic ſeruatũ fuiſſe coniugium uidetur, q; ſecundæ reuulſioni correſpondet, quum maxime per dextrum & ſiniſtrum paſsim uideamus coniugium fieri. Galenus quoque eodem calle, cum Hippocrate incedens xiii. metho. inquit. At in iis quæ in occipite ſunt ſic affectis, eam quæ in cubito eſt uenam, nec non eam quæ in fronte habetur, idem quoque altero crure male affecto alterum ſcarificabis, & incipiente phlegmone dextri brachii, ſcindatur uena ſiniſtri: Quibus profecto in morbis coniugium ſeruat, rectitudinem ad minus (ut patet) non cuſtodit, quam tamen in pleuritide, aliiſq; multis in morbis ſeruare intendit, rectitudinem perpetuo ſeruari præcipiens.

Eſt deinde Auicennæ ſententia, qui multis in locis, ſed rem ad pleuritidem perſtringens duas in ea (ut liquet) præcipit reuulſiones. In quibus nempe reuulſionibus ita ſeſe habuit, quòd ſi in earum altera puta in reuulſiua quæ a ſaphena fit rectitudinem ſeruat, coniugium tamen non reſpicit: Cuius cauſam ſuperius aſsignauimus uidelicet quia bona motus fuerit ſpe, ac naturæ operibus multum ſit confiſus, quanuis ad euitandas duas diametros ab eo id factum eſſe omnes ferè contendant, quod mihi uanum ſuperſtitioſumq; plurimum uidetur: In ſecunda uero deinde eius reuulſione, ſi ipſe coniugiũ ſeruat, rectitudinem tamen dubio procul omnino reſpuit: Quam poſtmodum in deriuatione ac proprii loci uacuatione præcipit, ac ueluti ad ſacrã confugit aram.

Eſt & Auenzoar tractatu xi. primo Teis. cum maxima eius patris authoritate Auerrois teſtimonio ipſum plurimum commendantis qui ambo in affectibus capitis, atque caluariæ fracturis non una contenti diametro ad duas tranſeunt, illoſq; ſpernunt, qui ad medianam partis læſæ per rectum deueniunt, proinde in

affectis in dextro cephalicam ſiniſtram ſecant: Qui pateret filius non minus laborante teſticulo dextro rectitudine non ſeruata, ſiniſtram ſecant baſilicam, & è contra: Hæ nanque ſi non ſimpliciter atque mathematicam ſeruant diſtantiam & maximam quæ eſt ſecundum longitudinem, quæ uerbi gratia omnes pertranſit uentres. Magna tamen eſt, quum à ſuperiori ad medium uentrem tendat. Quod ſi aliud in ea eligeret coniugium, naturalem ſaltem, ſi non mathematicæ, maiorem adhuc eligeret diſtantiam, ut alibi ex phlobotomiarum latitudine declarabo: Eſt & raſes ad Almanſorem ix. qui in capitis dolore, & ophtalmia cephalicam contrariis lateris phlobotomant, non unica contentus contrarietate duabus nimirum interpoſitis diametris, ſicut cum patre agebat Auenzoar, in ipſa deinde pleuritide ſe ita limitat, Raſes ut ubi immodica ſit materia, reuulſio ab oppoſito petenda brachio ſit, at ubi bilioſum huiuſmodi fuerit apoſtema, ab eodem fieri debere uenæ ſectionem procedente tempore conſulit. Iuxta illud Auicennæ primi quarta, qui paratos prius ad ægritudines quum actu in illas inciderint non in earum principio ſed in progreſſu minui debere præcipit.

Eſt & Meſ. grauiſſimus probeq́ conſideratus, qui in pleuritide ſaphenam ei oppoſitam in latitudine aperto marte ſecandam eſſe uult, ut reuulſionis ſimpliciter finem aſſequamur, nulla prorſus nec rectitudinis aſpectus, minusq́ coniugii ratione habita. Quam ob rem ſi tanti ii uiri duas non abhorruere diametros, cur fluente plurimum materia ad tres ſuperiores coſtas non æque ad ſiniſtrum trahimus, ſicut ad infra? quid enim hoc refert in ſuperioribus magis quàm in inferioribus id audere? Quum igitur in deriuatione, omnes authores rectitudinem omnino perpetuoq́ ſeruandam eſſe conueniant, nullus uero in reuulſione eam ſemper ſeruandam eſſe uelit. Quis tam uecors tamq́ inconſideratus eſt, qui de ipſa deriuatione, & de reuulſione oppoſitis atq́ contrariis idem prorſus exiſtimare uelit? Et hæc pro nunc ſint ſatis, nam ad ea quæ olim ad Minadoum Manardi Alumnum ſcripſi me remitto.

Cap. VII. in quo dubitationes quorundam ponuntur.

Nquit ex Galeni ſectatoribus unus Laurentius Stanghelinus præclari ſanè ingenii, plurima quinetiam doctrina refertus, quod tam & ſi ea quæ à nobis ſcripta ſunt,

tum erudita, tum exculta ſint, quæ nimirum cuiuis homini uel ſtomachoſo placere poſſint, quia tamen uariæ ſunt hominum mentes, atque inter ſe non modice diſcrepantes. Hac planè de cauſa nequeunt cenſuram effugere: Adeſt enim ſutor, qui Apellem, tum in Crepida, tum extra arguere uelit, nil aget, ſcio, inquit ridiculus fiet, qui imperitus peritum monere auſit, ſed dicet tamen quid ſentiat, & quid iam dicet accipe.

Reuulſionem nullo pacto rectitudinem efflagitare pluribus rationibus abs te probare tentatum eſt, ſed potiſſimum hoc medio, quòd ea euacuationi conueniat: Quæ nempe reuulſioni contraria eſt, at utriſque contrariis idem nequaquam congruere manifeſtum eſt. Videtur hæc ſanè ratio adducta ſi propoſitio ita intelligatur, ut idem ea ratione per eandem partem eodemq́ue tempore contrariis ineſſe poſſit ſatis probè conuincere: Rectitudinem numero eandem utrique tum reuulſioni, tum euacuationi competere haudquaquam poſſe: Sed quòd ſpecie congruere non poſſit minime. Videmus enim lacti & ſcriptorio atramento eandem ſpecie humiditatem ineſſe, quorum tamen hoc nigrum, illud uero candidiſſimum eſt: Quam ob rem inquit enunciatio illa in his duntaxat locum habere uidetur: quæ unum numero ſunt modo ea in contrariorum ratione non inſint: Quippe ſi aliquod foret quod unius contrarii eſſentiam conſtitueret, aut ab illius ſaltem eſſentia penderet, non hercle poſſet ullo pacto alteri contrario conuenire: Diſgregare nanque uiſum, quoniam albedinis eſſentiam conſtituit, nullo pacto nigredini congruere poteſt, uerũ ſi albedini dulcedo, aut amaritudo coniuncta ſit, non neceſſarium eſt à nigredine ſeiũgi, qum nigra res & calida, & dulcis æque eſſe poſſit, ſicut & alba eſt, itidem putandum eſt de reuulſione. Quæ quum ex diſtantia & cõtrarietate conſtituatur, impoſſibile eſt ibi euacuationem meram ac ſimplicem eſſe, ſicut ex oppoſito ubi loci patientis proximitas aut identitas ſeruetur fieri non poteſt: ut ibi reuulſio reperiatur. At rectitudo quoniam deriuationis, & euacuationis eſſentiam non conſtituit: Nec in illius diffinitione comprehenditur. Nihil obſtat, quin & in reuulſione, & in euacuatione reperiatur: Quòd autem ſine rectitudine euacuatio fieri poſſit: In ea uidere licet euacuatione quæ in eadem met affecta parte agitur, in qua nulla penitus eſt rectitudo, quum tamen ea propriè uereq́ue euacuatio dici debeat, ac meræ & ſimplici reuulſioni oppoſita. Quòd

autem

autem in reuulſione, & in euacuatione rectitudo reperiri posſit, ex noſtra poſitione conuincit ipſe, dicebamus enim nos. Quod inflammatis in dextera parte faucibus, ſectio quæ in ea fit humeraria, quæ patienti lateri è directo reſpondet, rectitudinem ſine dubio ſeruat, eaq; in inflammationis loco humorem collectum euacuat. Item quæ in collateralis cruris malleolo fit, non minus eandem rectitudinem posſidet: ea tamen maxime reuulſionem exercet, atque ab inflammato membro humorem maxime reuocat, quam rem, ſiquis neget, illico ex ſimplicis reuulſionis natura comprobare posſimus: Hæc nanque maximo à leſa parte diſtat interſtitio, ac eam exquiſite ſeruat oppoſitionem quæ inter omnes maior eſt: nimirum eam quæ eſt ſecundum rectum, & penes ſurſum infraq; attenditur. Hæc autem duo meram extremamq; reuulſionem ſtatuunt, quam ob rem nihil repugnat eandem ſpecie rectitudinem utrique tum reuulſioni, tum euacuationi quanuis inter ſe opponantur, conuenire poſſe.

Præterea & aliam offert ambiguitatem, hanc nimirum nobis adſcribens rationem uidelicet quum notisſimum prorſus ſit naturam in humorum ad aliquam particulam fluentium expulſione rectis uti fibris, quæ ſanè euacuatio ab ea non niſi in fine morbi efficitur. Quum ante id morbus reuulſione potius indigeat, minusq; natura ad id opus agendum idonea ſit: Erit igitur negotium medici ei auxiliari intendentis, per eaſdem incedere fibras, per quas ipſa incederet, puta quum euacuandi opportuna acceſſerit hora, ergo contra, quum ei aduerſari intenderit, non illis quippè fibris rectis uti debet: Sed tanquam in contrario fine, contrariis quoque auxiliis utendum eſt: Verum hanc nullius prorſus eſſe momenti rationem, ex hoc doceri inquit, ſi nanque exiſtimemus naturam ceu manibus ad noxios expellendos humores his uti fibris totam nobis medicorum ſcholam aduerſari dicit, quum illorum expulſionem non rectis, ſed tranſuerſis agi palàm ſit: At quod iſto amplius deterius eſt, rationem hanc noſtram aduerſus nos hoc pacto retorqueri poſſe inquit, eo quòd nullus eſt qui rectos uillos attractioni inſeruire eat inficias: Igitur quotienſcunque contingat, aut reuellere, aut euacuare, horum utrunque planè commodiori quo posſibile ſit inſtrumen-

to agi debet, & eo præſertim quo natura ipſa ſi reuellendi ei daretur facultas uteretur, quoniam autem ea dubio procul rectas minusq́ obliquas eligeret, ergo pariter & medicus, reuellens eadem incedere debet ſemita, rectisq́ omnino fibris uti tenetur.

Aduerſatur & deinceps alia ratione quoniam à nobis dictum fuerat hanc fibrarum rectitudinem ſolius naturæ operibus inſeruire, nihil uero aut modicum arti conducere: Quum ipſa uacui ſola facultate non rectarum fibrarum miniſterio euacuet: Proinde dubitans à nobis non ab re percunctatur, ſi nullus rectorum uillorum uſus medicis ſit. Cur nos quoque rectitudinem hanc (ut neceſſariam) in euacuatione ſeruari iuſſerimus? Quæ nihilominus uana ſic uideretur, præterea ſi ſola uacui facultate, medicus & reuulſionem, & euacuationem perficit, quam ob cauſam ipſe quoque opportuno euacuandi tempore proximam, & eiuſdem lateris uenam, & ſtudioſe quidem diducam? minime tunc oppoſitam? Præſertim quum nihil interſit ui uacui, an hanc uel illam ſecemus uenam. Per utrasque enim inane æque cito inducitur, quum æquali ferè ab inflammata parte utræque diſtent interſtitio, ut dominus inquit Vveſalius in re ſectionum peritisſimus ad hæc ſi rectitudo nihil operi medico confert, cur inflammato liene non adeò euidens iuuamentum præſtat, ſecta in dextro cubito baſilica ſicut in ſiniſtro? Item cur fluentem è dextra nare ſanguinem non æque retinet affixa hypocondrio ſiniſtro cucurbitula ſicut dextro, & cur è dextra uteri parte menſes non adeò ſupprimit ſub ſiniſtra mamma, ac ſub dextra eadem cucurbita appoſita? Hæc ſi uera ſunt, ut omnes quotquot ante nos fuere, uno ore predicant, tanquam longo perpetuoq́ uſu comprobata, neſcio quo iure quis negare queat, non modo eam operi medico conducere, ſed etiam (ſi fieri posſit) ſemper tam in euacuatione, quàm in reuulſione expetendam fore.

Semita non minus à naturæ inceſſu per nos ſumpta, qua rectitudinem ipſam redarguimus, ei ſufficiens uiſa non eſt, nam quod dicitur de inteſtinorum inuolutionibus, de auditorio anfractu, de urinariis uaſis non recte, ſed orthogonaliter ueſicam ingredientibus, nihil eſſe uidetur, quum diuerſa ualde ſit

iſthæc

iſthæc membrorum rectitudo, ab ea quæ in naturæ functionibus penes fibras attenditur, quippe quum in tortuoſo membro nihiloſecius fibrarum rectitudo reperiatur, quod ſi per eandem licet disſimilem, in huiuſmodi membris non ſeruatam rectitudinem, hanc quoque de qua contendimus non eſſe adeo naturæ dilectam probare noſtrum fuerit inſtitutum, ſciendum eſſe inquit diuerſam utriſq; eſſe rationem, nam eas ita ſtudio fabricata eſt natura partes, ut inteſtina, aures &c. At diuerſus ſane ab iis eſt medici ſcopus.

Damnatur non minus & ea noſtra ratio, qua probauimus in reuulſione rectitudinem minime ſeruandam eſſe, eo quia reuulſio ad contraria fit, ſed contraria ſunt ſurſum & deorſum, dextrum & ſiniſtrum, igitur reuulſio non a ſurſum in deorſum modo, ſed etiam a dextro in ſiniſtrum, & e contra facienda eſt, inquit dubitans, quod in hoc ſyllogiſmo maior perperam aſſumitur, ubi ſic aſſumenda fuerat, uidelicet contraria ſunt ſurſum & infra dextrum & ſiniſtrum, ante & retro, atque hoc pacto uera fuiſſet, uel ſic contraria duntaxat ſunt infra, ſupra, dextrum, leuum, & ita minor falſa fuiſſet, ſi ita intelligatur, quod reuulſio ſimul ad omnia iſthæc contraria facienda ſit, quod plane falſum eſſe omnibus uideri poteſt: Verum ſi non collectim, ſed diuiſim intelligenda ſit, nihil aduerſus rectitudinē concluditur, ſequitur nanque ex iſto ratiocinio reuulſionem in aliqua ſaltem iſtarum oppoſitionum fieri debere, quod ſe nobis gratis donare inquit, tanquam id quod rectitudini nihil officiat, quo minus perpetuo (modo ſine maioris rei iniuria fieri posſit) ſit exquirenda.

Reiicitur quoque illa noſtra probatio, qua rectitudinem a reuulſione ſemouimus, quod ipſa melius fiat ſine rectitudine, quam ſi ipſa omnino ſeruetur, nam ubi maior diſtantia, oppoſitio, atque tortuoſitas eſt, ibi reuulſus humor melius recipitur, minoriq; cum periculo ne rurſus ad inflammationem relabatur. Dubitans nanque inquit ſe nunquam intelligere poſſe, quomodo in oppoſita ſaphena maior ſit diſtantia, ac tortuoſitas, quam in collaterali, nam quod ad diſtantiam attinet, uel nihil inter ſe differunt, uel pollicis tantum, aut paulo certe ampliori crasſitudine, nam quanta eſt uenæ cauæ latitudo, eo amplius diſtat ſiniſtra ſaphena a coſtis dextris, quam dextra, ſed quis credat ob tam exiguum interuallum inſignem adeo in reuulſione fieri diuerſitatem? Præterea tortuoſitas nulla eſt,

eadem enim in uenis utrinque eſt conformatio, adeo ut ſi in ſiniſtra ſaphena ſinuoſitas eſt, eodem quoque modo in dextra ſit. At qui ſi adeſſet nihil tamen reuulſionem iuuaret, nulla nanque ſinus neceſsitas eſt in quos reuulſus ſanguis recipiatur, quum ipſam tollat ſanguis è uena fluens, ex huiuſmodi enim ſanguinis miſsione humoris copia minuitur, ut non amplius ſinubus opus ſit, præterea & fluxionis motus ad contrarium trahitur, unde ſi effatu digna reuulſio fieri debeat, liberalem quoque ſanguinis extractionem adhibere neceſſe eſt, id quod nullum eſſe ſinuum uſum oſtendit, quandoquidem ſi ii reuulſioni auxiliarentur, ex qualibet, uel leui ſanguinis miſsione inſignis admodum fieret reuulſio, quod falſum eſſe ſenſus oſtendit, quam ob rem (eius ſententia) ratio hæc infirma eſt.

Cap. VIII. in quo illarum dubitationum ponuntur ſolutiones.

h His igitur inſpectis probeq́ penſitatis ambiguitatibus, neceſſarium quippè noſtrum munus eſt, pro earum tutela, remis, uelisq́ſimul, nauim iam conuertere, ut ad ſperatæ tandem ueritatis portum peruenire ualeamus. Verum mihi in primis diui Platonis ille ſubit ſermo, quem in Phylebo nos monens ſcripſit, quòd in diſputationibus, non quæ ego pono, nec quæ tu, uincant, ſed ut illi quod uerisſimum eſt tantum faueamus. Ad rem igitur accedens, dixeram ego quòd quum reuulſio & deriuatio (cum qua intelligi etiam uelim euacuationem) ſint contraria, utpote ab oppoſitis finibus ſumpta. Illud quod ad unius eſſentiam conducit alteri minime conuenire poteſt, neque in hoc dubitans nobiſcum aduerſatur: Verum in eo tantum, quòd rectitudo ad alterius horum eſſentiam conducat. Quum re uera huius natura extra utriuſque diffinitionem eliminata ſit, quò fit ut ambobus ineſſe, & abeſſe facile posſit, itaque ut nobis tandem contradictum foret, res tantopere huic arti neceſſaria, & ab eo cum ſecta toties de Hippocratis & Galeni mente uociferata ad accidentis per accidens magno ipſius negotio deducta eſt, atque pro ipſa catenus pugnatum eſt, ut extra ſcientiæ fores exulare cogatur, communi nanque utriuſque noſtrum conſenſu tanquam eſſentiale quid à reuulſione eam nos ſeiunximus, nunc

modo

modo dubitans, & ab illi contraria euacuatione ſponte(tanquam non eſſentialem) remouet, ab utriſque igitur ſecluſa omnino erit: Quæ alioqui (eiuſdem ſententia) tanti erat, ut quicquam nec boni minuſq́; recti ſine ea fieri poſſe arbitraretur, id quòd credendum non eſt, quum à tam ſapientibus authoribus toties celebrata miroq́; ſtudio quæſita fuerit, quonam igitur pacto hoc de re accidentali excogitari poteſt, dicant iudicioſi quæſo ?

VERVM hic mihi primum boni olitoris fungi munere uiſum eſt, qui ſelecta prius ſecernit ſemina: Eapropter uidendum in primis quid per rectitudinem intelligendum ſit, mox quam habitudinem ad phlobotomiam ſimpliciter (ut aiunt) generice ſumptam & ad eius ſubiectas partes ſeſe habeat: Modo tam & ſi rectitudo, & eius contrarium curuum, ſiue obliquum quæ ambo ad eandem omnino pertinent ſcientiam (quum oppoſitorum unica ſemper ſit ſcientia, ueluti unanimis uotis dixere Plato, & Ariſtoteles) iſthæc inquam ad mathematicum pertineant: Alio tamen modo à philoſopho etiam & à medico conſiderantur, ſed ea miſſa notitia, quæ mathematico propria eſt, & quæ phyloſopho ad illum conſiderandi modum, qui medicis proprius eſt deueniamus. Cuius ſanè Hippocratis inuentor fuit, quem deinde Galenus mirabili quodam ſtudio proſequutus eſt, deinde Auicenna eorum maximus expoſitor, quibus cætera medicorum ſchola ſubſcripſit, uerum quia Auicenna. Hinc inde ſparſas ueterum ſententias probè collegit. Nunc ad eum recurrere mihi uiſum eſt, nec quiſpiam me corripiat, quod in exponenda Galeni mente Auicennam legam, quandoquidem ex Galeni lectione rectitudinis interpretationem ſine dictis dubirationibus percipere non potui, Auicennæ uero dogmati aduertens ueritatis uiam planiorem comperi, dicit nanque primi quarta, in euacuatione plurima conſideranda eſſe, locum, ſitum, communitatem cum patientis membri ſocietate, præterea illius habita, ratione, quòd partim iam fluxit, & partim fluxurum eſt: Conſiderandum eſt huiuſmodi materiam patiente membro remoueri & per diuerſionem ut quum à ſurſum in deorſum trahimus, & per ſocietatem, ut quum in menſium fluxu per uentoſas mammis affigimus, longitudinem uero ſemper reſpiciendam eſſe, ne uidelicet nimis propè tractus fiat, quo in loco expoſitores ea de cauſa illam inquirendam eſſe dicunt, ne rurſus facilis

fiat

fiat humoris ad affectum locum recurſus. Demum ad hoc deue- nit princeps, ut fluentem etiamnum materiam ab affecto loco auertendam eſſe uoluerit, quatuor tamen ſeruatis conditionibus, prima eſt, ut ad oppoſita fiat, nimirum à dextro in leuum & à ſuperioribus ad inferiora & è contra, quo in loco duo animaduer- ſione digna habentur. Primum quòd Auicenna in aſsignandis contrarietatibus, non eam habuit conſiderationem dum de re- uulſione ageret, ut à iugo ſuperioris, & inferioris tanquam ab omnium primo inceperit, quum in corporibus animatis iugum dextri in leuum primas obtineat, ſicut in anima carentibus ſur- ſum in deorſum uel contra ipſum antecedit, alterum eſt quod de tertio iugo non meminit ſicut proprie fecit Galenus aphoriſ- morum vi. nam inquit diuerſio fit ſecundum longitudinem ſu- pra & infra, ſecundum latitudinem hinc & inde, id eſt a dextra in leuam, de tertio autem iugo nullum uerbum facit, licet alibi plu- ries de ipſo meminerit, ſed huius cauſam alio loco declarauimus. Secunda conditio eſt inquit Auicenna, ut ſocietatis curam habea- mus, ſicut menſtrua cum uentoſis ad membrum aſſociatum at- trahentes. Tertia ut rectitudinum cura habeatur. Qui nempe Auicennæ locus rem quam nunc quærimus nobis aperte demon- ſtrat dicit enim quem admodum oportet in ægritudinibus epa- tis minutionem facimus ex baſilica dextra &c. quo in loco con- ſiderandum eſt Auicennam non has declaraſſe rectitudines per fibras, ut dubitans uelle uidetur. Minus ut alii per coniugium quod tamen alioqui plurimum ſeruandum eſſe præcipit, uerum eam duntaxat per regionis aſpectum declarauit, qui tanti ſanè eſt ut Auicenna & Galenus cæteriq; ab iis probati authores per ba- ſilicam euacuare intendentes dextram V. G. in hepatis inflam- matione, ea non apparente non ad eiuſdem coniugii uenam de- ueniant, puta ad baſilicam in alio brachio exiſtentem, ut co- niugium potius obſeruent, quinimmo neglecto ipſo ad di- uerſum coniugii genus in ea met regione exiſtens tranſeunt, re- ctitudinis idemptitatem potius ſeruantes, quàm proprium con- iugium in diuerſa regione exiſtens, adeò integre, & quo- dammodo religioſe ſeruatur ab eis aſpectus rectitudo. Poſſem hic & in utero & teſtibus & aliis pleriſq; membris multa addu- cere loca, per quæ facile coniectari licet Galenum hoc idem adamusſim uoluiſſe, quare non ambigendum eſt, quum patres

noſtri

noſtri rectitudinem tantopere nobis commendauerint,& per eam nihil aliud ipſos intellexiſſe, quàm regionis eiuſdem aſpectum. Quod quum ita ſit, uidendum modo eſt quam habitudinem ipſa ſic intellecta ad phlobotomiam ſimpliciter (ut aiunt) generice ſumptam habeat: An ei tanquam eſſentiale quippiam ſit: An accidentale potius, & ſi accidens, an per ſe, an per accidens. At quum manifeſte phlobotomiam ſine rectitudine fieri uideamus, ergo ad illius eſſentiam (quatenus phlobotomia eſt) minime pertinet: Minusq; ea ratione illud eſt ſibi accidens quod eſſentiam immediate conſequitur. Sed ei accidit ueluti quodlibet eſſentiale alicuius poſterioris ſuo priori accidere dicimus,quem ad modum rationale homini ut eſſentiale ineſt, ei quod riſibile, quæ tamen animali prorſus accidunt, quum posſit animal reperiri ſine his, nullo tamen homine ſine iis exiſtente, item in propoſito rectitudo phlobotomiæ in uniuerſum captæ, per accidens ineſt, quandoquidem ſine ea reperiri poteſt.

Hactenus ergo uidimus ipſam planè rectitudinem phlobotomiam ſimpliciter non ut eſſentiale aliquod inſequi. Videndum modo quo nam pacto ad eius ſubiectas partes ſe habeat: Nam ſi ad illas pariter non ut eſſentiale quoddam ſe haberet a noſtra hercle penitus reiicienda eſſet conſideratione, quod quum minus credendum ſit, tum ratione ita ſuadente, tum ueterum teſtimonio, ac maiorum authoritate, quibus omnino non derogamus opinari debemus. Rectitudinem ſubiectarum partium alicui nempe reuulſioni, & euacuationi, quum ſub huiuſmodi phlobotomia ſimpliciter contentæ contrariæ omnino ſint, eſſentialiter ineſſe, nam uel earum nulli per ſe competit. Sed tantum omnibus per accidens, uel omnibus per ſe tribuitur, uel uni per ſe tantum, alteri uero minime aut per accidens duntaxat, aſſerēdum quippe primum non eſt, propter ſcientiarum limites, minus ſecundum, quia nihil per ſe conuenit, omnibus inferioribus, niſi per ſuperioris genericam naturam: Id autem de ipſa rectitudine reſpectu phlobotomiæ ſimpliciter deſtruximus. Supereſt igitur ut iis exiſtentibus contrariis uni tantum per ſe conueniat, alteri uero uel nullo modo, uel per accidens quod quum ita ſe habeat, uidendum modo eſt cui horum eſſentialiter conueniat, & primum reuulſioni non uidetur, quum ipſius eſſentia ex contrarietate

tate , & diſtantia conſtituatur, quibus planè conditionibus à reuulſione rectitudo longe abeſt, item reuulſionis finem ſine rectitudine probe aſſequi poſſumus , ergo ad eius naturam eſſentialiter ipſam non pertinere perſpicuum eſt, nam quid per reuulſionem quærimus nos ? non materiæ quidem in apoſtematis ſede collectæ uacuationem, ſed humoris ad dolentem locum currentis auerſionem atque in contrariam partem diſtractionem, præterea ne poſt tractum reuulſus humor ad affectam ſedem recurrere queat, at per diſtantiam nedum magnam, ſed maximam nos perbelle hæc omnia aſſequi quilibet uel Lippus uidere poteſt: Quam ob rem ſi huiuſmodi phlobotomia quatenus reuulſio eſt contrarietatem eſſentialiter requirit, eius contrarium puta euacuatio, uel eius uicaria deriuatio non contrarietatem , ſed identitatem, ne dum differentiæ poſitionis, ſed loci etiam proximitatem quæ ad eandem refertur poſitionis differentiam , expoſtulat: eæ enim utriſque euacuationi, ſed & deriuationi inſeruiunt, quæ nimirum ambæ inter ſe conueniunt , ſimulq; quoquomodo leuiq; diſcrepantia , non eſſentiali tamen inter ſe disſident, conueniunt, primum quod contrarietate careant, & in unica atque eadem comprehenſæ ſint differentia : Eapropter omnimoda reuulſione carent, & ſolius ſimplicis euacuationis munus duntaxat obeunt, differunt uero, quoniam euacuatio apoſtematis ſedem attingit, atque materiam facillime educit, deriuatio uero, non ita ſtatim apoſtema petit, nec adeò facile morbi materiam euacuat: Eſt autem hic unum animaduerſione dignum nempè quod in iis quatuor reperiuntur , loci identitas, & eiuſdem proximitas. Item regionis eiuſdem aſpectus & differentiæ poſitionis identitas ſanè inter ſaphenam ſiniſtram & coſtæ dextre inflammationem nulla eſt loci identitas , nec proximitas , nec eadem poſitionis differentia , nec regionis identitas, aſpectus ſiniſtræ itidem baſilicæ quatuor hæc deficiunt & conſimile ferè in ea quod in dicta modo ſaphena accidit , præter id quòd baſilica ſiniſtra à predicta inflammatione una tantum contrarietate diſtat , ſaphena uero duabus in reliquis ſunt conſimiles , nam utraque his quatuor caret: At reuulſio quæ in collaterali ſaphena fit, tribus duntaxat priuatur conditionibus, nimirum loci identitate , eiuſdem proximitate & differentiæ poſitionis unitate, nam quartam aſſequuta eſt, aſpectus ſcilicet ſed identita-

tem,

tem, euacuatio autem & illius uicaria deriuatio omnia modo dicta nempe loci identitatem, aut proximitatem identitatem aſpectus regionis & unitatem differentiæ omni remota contrarietate posſident, quod extremo reuulſiuo diametraliter opponitur, cui omnes illæ deficiunt conditiones, quo fit ut ſicut illud ſumme euacuat, ſine reuulſione, contra hoc ſumme reuellat & nullatenus euacuet. Quæ uero intra hæc ſunt medio modo ſe habeant prout hæc extrema participare uidentur, igitur quum rectitudo quam penes eandem regionis aſpectum attendi diximus (eo quo diximus modo) eſſentialiter extremum deriuatiuum, ſiue euacuatiuum eſſentialiter conſtituat: Relinquitur ipſam ſuo extreme contrario nullo pacto conuenire poſſe, quòd ſi aliquando alicui alteri conuenire uideatur, eatenus accidit quatenus id cui conuenit non extremam reuulſionis habet naturam. Sed ad naturam potius medii inclinat, ideo per accidens ei conuenit, ratione uidelicet alterius extremi in eo contenti. Eapropter diſputanti non uſquequaque ignotum eſt me iam pridem ab ea ſectione uenæ quæ in pleuritide dextra à collaterali ſaphena efficitur, quam perperam reuulſiuam & extremam reuulſiuam appellaueram, retractaſſe me, quum oppoſita potius uere & ſimpliciter reuulſiua dici debeat, utpote quæ directe affectum locum non reſpiciat, accedere nanque ad alterius extremi latus dubio procul de exoptata diſtantia ueluti infra dicemus diminuit. Et aliquo etiam pacto ad identitatem regionis ducit non ab re autem dictum eſt aliquo pacto, quoniam regio eadem quæ propriæ euacuationi inſeruit intra unicam tantum differentiam comprehænſa eſt: quæ quidem in dextra ſaphena non ſeruatur, ea nanque licet dextrum ſeruet, non tamen ſuperius cuſtodit quem ad modum ſuum facit contrarium, ſcilicet euacuatiuum, aut deriuatiuum ſimpliciter, quòd ſaluo directionis aſpectu, nulla poſitionis differentia uariata ſuum probè agit munus. Quam obrem hæc illa eſt rectitudo, quæ diffinitiuæ extremum euacuatiuum conſtituit, & quæ ne pilum quidem extremo reuulſiuo communicatur quum extrema huiuſmodi ſint natu-

ræ(ut ſæpius dictum eſt) hac ratione dixi euacuatione, & reuulſione contrariis ſub eodem genere exiſtentibus. Quod uni eſſentialiter conuenit, alteri minime conuenire poſſe niſi per accidens, ut ab extremo contrario fortaſſe declinat, quem ad modum in exemplo adducto per dubitantem: & in faciem noſtram obiecto lucidisſime apparet, uidelicet de inflammatione faucis dextræ & ſectione cruris dextri: dixeram enim perperam hanc reuulſionem ſimpliciter dici quum ab ea declinet, & uerſus medias tendat, ſanè hic unum admiratione dignum non prætereamꝫ quo pacto fieri posſit ut reuulſio ex diſtantia & contrarietate conſtituatur, tanquam ex ſubſtantialibus, ut aiunt, conditionibus, niſi & ex oppoſitis deriuatio, ſiue euacuatio illius extremum contrarium eſſentialiter conſtituatur: ſi oppoſitorum eadem eſt ratio. Quam obrem quum euacuatio, & deriuatio ex proximitate, & identitate loci, eiuſdémque differentiæ poſitionis omni contrarietate remota fiant, rectitudo autem nihil ab iis diuerſa ſit fieri non poteſt, quo minus ipſa utriſque eſſentialiter inſit, reuulſioni uero eam conuenire imposſibile eſt, ſiquidem reuulſio ex illis conditionibus eſſentialiter conſtituitur, quæ rectitudini opponuntur. Non me latet ſic ut ex meis ſcriptis uir hic prius colligere potuerat, ex Ariſtotelis & Galeni ſententia, quibus tota adhæret medicorum ſchola, naturam ſibi ipſi uilos, & rectos, & tranſuerſales ad diuerſa munia fabricaſſe: Quos ne dum in animalibus eſt uidere quinimmo & in ſtirpibus quoquomodo intueri licet, præterea nec ignoro hos naturæ operibus propria inſtrumenta exiſtere, artis uero minime, quanuis eius emula ſit, quo fit ut rationi conſentaneum eſſe exiſtimem, ut quum ei fauere uoluerit medicus iiſdem incesſibus, & iiſdem, & modis quibus ipſa utitur, & ipſe ambulet & operetur. Verum quoties ei erranti aduerſari & ſecum pugnare intendat, quòd eoſdem ritus, & eoſdem mores ſeruare debeat, nec uerum nec ueri ſimile eſt, obſtupeſco, quum tam longo tamꝗ ocioſo ſomno ſectam premi uideo, enimuero in re militari, quæ & medicæ arti non abſimilis eſt, & in eodem (ut adagium eſt uulgatum, cum ea concurrit ſidere) hoc facile deprehenditur, nam perinde ac in ea ſtudere oportet, hoſti perpetuo aduerſari eorum apparentibus occurrere, ac uniuerſas eorum conatus, ac cogitatus

gitatus pro uiribus irritas fauere, ita & in medica facultate quoties improbis naturæ actionibus obuiam nos ire ac ei nulla ex parte obſequi aut obſecundare neceſſe eſt, niſi & nos improbi pariter uideri uelimus, atque illis omnino ſimiles qui eorum ueſtes accipiunt, quos a quis obrutos eſſe cupiunt, diuerſis ſanè ab ea utendum eſt ingeniis. Nec per faciles breuéſque uias humor ducendus eſt, ſed per aſpera auiaque loca procul ab attractionis ſatelitibus uertendus eſt, ut eminus diſtractis non amplius facilis ei ſit relapſus, atque retroceſſus, ita nanque per longinquos difficiles'ue tractus ducentes noſtrum probè aſſequimur inſtitutum.

Quanuis dubitanti quoniam perturbato animo eſt, contrarium uideatur, ſic nimirum paruam à natura inchoatam actionem uaſtabimus, & impediemus. Eapropter minime conſentaneum eſſe iudico, tunc naturæ ueſtigia imitari, & cum eo potisſimum inſtrumento quod nullam ſibi poſitionis differentiam limitat, ac cui nulla naturalis uis obſtare ſatis eſt, quale uenæ ſectio eſt, quæ uacui tantum facultate operatur. Qua ratione graue quandoque ſurſum feri contingit, ut ſecundo de al'. generatione dicit philoſophus, de uaſe in fundo calefacto quod aquæ ſuperpoſitum, illam ad ſe trahit, aqua uero, ſic ſurſum petens nullis fibris, ſed uacui ratione aſcendit, ego tamen non eo inficias, quòd ubi ei obſecundare uelimus eiſdem ut dixi, cum natura incesſibus ac inſtrumentis & progredi, & operari debeamus.

Non ob id quod hoc artis inſtrumentum ex ſe potens non ſit, ſed quia præter neceſſarium illud (de quo infra dicemus) magis etiam eſt conſentaneum, atque actui complacentiæ magis reſpondet, nimis nanque ridiculum eſſet id prorſus quod natura intendit concupiſcere, diuerſo deinde ab eius calle penitus procedere, profecto hoc præter omnem eſſet rationem, dicet dubitans quòd &ſi rectitudinem reuulſioni non conuenire contendamus negare tamen non poſſumus quominus ea ad id quod intendimus celerius aſſequendum nos iuuet, reſpondemus multa hic conſideranda eſſe, primum materiæ mul-

titudinem, deinde tempora, atque partium materiæ diuerſa loca, multitudinem quidem, quoniam, ſicut pauca in exiguo loco colligitur, copioſa uero in maiori igitur & amplior ad maiorem etiam locum diuertenda eſt. Tempora inquam, quoniam ubi materiæ motus principium foret, tunc maxime naturæ aduerſandum eſſet, quandoquidem eo tempore ipſi & nobis nihil penè commune eſſe uidetur, quum nil aliud præſertim intendamus, quàm illius motum cohibere, atque illius operationes penitus delere, uerum quoniam hoc cum contrario motu, ad contrarium trahente perficitur: Eapropter uerum decernendum eſt contrarium, quod ex diſtantia & obliquitatem conſtat ideo phlobotomiam eam uoco contrariam eamq́ regionis eiuſdem aſpectum minime ſeruat, neſcio quis ſenſus, aut quis intellectus huic aduerſetur, ſunt nanque ut toties diximus phlobotomiarum duo extrema genera, nimirum ſimplex reuulſio, & ſimplex meráque euacuatio, inter quas medium reperitur quod utriuſque particeps eſt extremi. Quibus omnibus diuerſos ſeorſum fines correſpondere diuerſasq́ inſequi proprietates manifeſte uidimus. Sunt & materiæ partes in diuerſis comprehenſæ locis conſiderande, nimirum quòd ea quæ in principio actu dolorem facit, in inflammatione continetur, quæ uero fluxuræ ſunt in diſtantibus exiſtunt locis, quum igitur prima phlobotomia humorem in inflammationis loco collectum non conſideret, ſed fluxurum & diſtantem igitur ea proxima eſſe non debet, ſed remota, & quo remotior eſt eo conuenientior, atqui ſecus putantes eam abhorrent, ea de cauſa id faciunt quia apoſtematis materiam intuentur, quum alioqui diſtantem conſiderare debuiſſent, quare quod non deberent id ſummopere ſpeculantur, quod uero maxime ex uſu eſſet, id deſerunt, ſi ergo à principio medici ſcopus eſt multa exiſtente materia eius motum duntaxat compeſcere, modicum uero illius extrahere, niſi eam ad maximam ducamus diſtantiam immodico attracta loco multa quum ſit contineri non poterit, præterea & relapſui promptiſſima erit qui contra per tractum obliquum, & diſtantem diffi-

difficillimus foret, tam & ſi nulla ſeruaretur rectitudo; quæ dubio procul per regionis mutationem utique non ſeruatur, neque celeritas maior fit, quæ ſenſum noſtrum immutet, per ſaphenæ eiuſdem regionis ſectionem quam per eiuſdem in oppoſita parte diductionem, quum ad materiam in loco apoſtematis collectam non dirigatur, ſed ad remotas ſparſim in uenæ exiſtentes, quas æque cum obliquitate ac cum rectitudine reſpicere posſit, incertam quum posſideant ſedem: licet certum ſit, eas diſtantes eſſe & in oppoſitis affecto loco terminis exiſtere. Præſertim quum id quod uacui facultate efficitur, non adeò moroſam includat cunctationem, quam alioqui ſi adduceret prohibitionis relapſus tolleret utpote cuius iuuamentum maius eſſet illius tam modicæ, & uix ſenſu perceptibilis tarditatis nocumento, præſertim quum id minime appetere debeat, quod eo tempore rationabile non eſt, ſecus autem agere, ut effectus celerius eueniat, precipiti cuipiam actioni eſſet potius quam arti aſcribendum. Prudens enim rationalis'que architector tecum mirifice exoptat, & celerius quàm fieri posſit, non id tamen celerius perficere tentat, quàm arti conueniat: Eapropter longe plus Fabii Maximi laudata fuit tarditas,qua Hanibalem ab omnibus eius conatibus impediuit, quàm collegæ Minutii importuna celeritas: Optanda ergo eſt tarditas ubi conducat, reprobanda uero celeritas eſt, quum res tarditate magis indigere uideatur, utraque igitur conſulto perquirenda eſt: Neque præ celeritate aſſequenda, prepoſtere aliquid eſt agendum, ita ut quod ultimo faciendum eſſet, id præ cæteris exequamur, ultimo nanque ex uno petenda eſt loco, quæ dolorem inducit materia, ante id ad plura loca diſtrahenda eſt, præſertim ad contraria, ut tertio art. med. dixit Galenus. Colligentes igitur fragmenta dicimus ubi natura ſecundare uoluerimus, eiſdem cum ea inſtrumentis incedere nos debere: Vbi uero ei aduerſari oporteat, ſuis relictis moribus, atque ingeniis per

aduerſum omnino tendere ; atque illius actiones retun-
dere, ac corrigere, quòd ſi obiiciat aliquis. Maiores
patres noſtros ex uſu comprobaſſe, non ad aliam tran-
ſeundum eſſe differentiam, qua ratione in uteri paſsio-
ne eiuſdem lateris ſecta ſaphena iuuat, ſed in coxendi-
co dolore non ſaphena, ſed quæ in exteriori malleoli
parte eſt, ſciaticam recentiores nuncupant, inciſa pro-
deſt, reſpondemus. Hæc ſanè uera eſſe in uacuatio-
nibus, ac deriuationibus faciendis, quæ planè omnes in-
fœliciter ſuccedunt, ſi ſecus fiant, propter eam quam in-
fra dicam cauſam: Nec cum antiquis in hoc litiga-
mus. Male igitur dubitans aduerſus nos lyram pul-
ſat. Dicens non mutandam eſſe poſitionis differentiam,
ob id quòd experimento ueteres comprobarint, non mo-
do non iuuare, ſed nocere potius. Hoc enim intelli-
gendum eſt, in deriuationibus & euacuationibus mini-
me in reuulſionibus, in quibus conſulunt tranſitum, ut
in methodis ab eis hinc inde traditis liquido apparet,
quas non minus experimento comprobarunt, quanuis
eorum nullus uidelicet nec Hipp. nec Galenus, nec Aui-
cenna duas diametros concedere uideantur, id quod
potius inter uoluntaria adnumerandum eſt, ut infra
clare uidebimus. Et de hoc iam ſatis quod ad ſecundam
ſpectat dubitationem.

Quod uero deinceps meis in ſcriptis dixerim fi-
brarum rectitudinem ſolius naturæ operibus inſeruire,
arti uero uel nihil prorſus, aut modicum conducere,
quum ea ſola uacui facultate non rectarum fibrarum
miniſterio euacuet, dubitans, percuntando à nobis
quærit, cur à nobis in euacuatione rectitudo præci-
piatur? Item ſi ars ſola uacui facultate agit, quam
ob cauſam in euacuatione proxima expetitur? quum
ui uacui nihil interſit, Hanc uel illam ſeces ue-
nam &c. Dicimus attractionem quæ in reuulſione, &
euacuatione uacui ratione fit, nullo ſanè circumſcri-
ptam eſſe poſitionis termino, quum ab omni trahat
differentia, itaque præcluſa ei non eſt attrahendi uia:

propterea

propterea quod in una magis quàm in alia parte ue-næ ſectio fiat, uerum attractionum altera melior, aut deterior altera eſſe poteſt, item aliqua huic conuenit tempori, illi uero minime: Eapropter earum quælibet ſuis coaptanda eſt locis atque temporibus. Inſitum nanque ipſi inani eſt, ut tametſi ab omni poſitionis differentia attrahat, prius tamen proximum ad ſe alliciat, quam remotum, alioqui corporum inuicem daretur penetratio, quod æque natura abhorret ac uacuum, ex quo ſequitur iuxta paruam quorundam modernorum opinionem ſaphenarum phlobotomiam in inflammatione membranæ incongruam eſſe, propterea quod opinati ſunt & recte quidem per talem phlobotomiam à principio ſanguine in inflammationis loco contentum minime educi poſſe, quandoquidem totus ferè ſanguis ante ipſum prius attraheretur, & citius mors accederet, quàm illæ euacuaretur, ſed perperam deinde arbitrati ſunt eo tempore materiam ipſum dolorem actu facientem, per phlobotomiam eſſe perquirendam: Verum quia nos per eam adeo diſtantem phlobotomiam apoſtematis coniunctam (ut aiunt) materiam euacuare non intendimus, ſed antecedentem à qua huiuſmodi uenæ ſectio non diſtat, iccirco fluenti humori congruit, ei uero qui iam fluxit minime conuenit, ſicut contra, quum euacuationis tempus acceſſit, humorq; iam totus in loco, & collectus & corruptus eſt, ſi ipſum per oppoſitas partes euacuare uelimus primum non culpati ſanguinis (cuius euacuandi nulla eſt neceſſitas, ſed maxima potius conſeruandi, quum bonus adhuc & incorruptus ſit) euacuatio fieret, mox ei ſuccederet materia illa iam corrupta & ſanioſa ſpiritibus noſtri corporis inimica, unde naturæ non modicum ſequeretur detrimentum, ubi ſecus per eam uel per proximam particulam euacuatione facta nullum horum ſequitur: Hinc cauſam habemus quod tam & ſi phlobotomia etiam in oppoſita parte facta ui uacui non minus ad attrahendum ſit idonea tamen tunc temporis eſt facienda, nimis enim ſtolidum foret, atque ab arte remotum,

motum, quum per congruam & conuenientem educere partem poſſumus, per diſconuenientem & nocuam regionem id agere. Hinc illud ſoluitur, de quo paulo ſuperius dictum eſt, cur non ſeruata rectitudine non æque iuuamentum affertur, nimirum quia alius & impertinens prius cum naturæ diſpendio educitur humor, & frequenter malus, & proprius derelinquitur. Hinc etiam illius diſſolutio apparet, quod mihi obiectum fuerat, ſi nullus eſt rectorum uillorum uſus, cur ſeruandam eſſe in deriuatione rectitudinem præcipiam? Nam & ſi uacuum ſine ullo diſcrimine ab omni trahat loco, non indifferenter tamen quodlibet à nobis attrahendus eſt, ideo in determinatis locis determinatisq; temporibus, ſecundum uarios determinatosq; fines id agere oportet, uerum tam & ſi iis rectis uilis non eget medicus. Natura tamen ipſa quæ uacuo non utitur illis maxime in ſuis functionibus indiget, quos debet non ſpernere artifex, quum euacuandi uenerit hora, & quum circa finem cum natura communicauerit, non quidem quod tales ei neceſſarii ſint, ſed ut complacentiæ actus magis perficiatur.

Patet & non minus illius ſolutio, ſi rectitudo nihil operatur, cur inflammato liene non tam clare perficitur iuuamentum per baſilicam dextram? ac per ſiniſtram, ſi enim de inflammationis principio loquamur, quo tempore reuulſio conuenit, dicimus dextram baſilicam eam maxime iuuare, quinimmo ubi per defluxum fuerit, ut in M. non ut in G. fit frequenter eius iuuamentum adeò manifeſtum eſt, ut ea ſolam ſanitatem inducere ſit ſatis, quod nulla alia ex cauſa accidit, niſi quòd ea illi proprie congruit tempori, ſiniſtra autem minime, ea enim apoſtema augendo potius noceret quàm prodeſſet, quod non minus eueniret proportionabiliter inflammato iocinore. Quam ob rem ex apoſtematum generibus ſuorúmque temporum diſtinctione apparet quomodo in iis inſurgere poſſit iuuamentum, & quomodo non. Hac non minus ratione facile eſt uidere, cur fluente ſanguine è nare dextra, non ex cephalica, minuſque è narium uenis ſanguinem mittimus? ſed ex baſilica potius, nam

quum ex iocinore ueluti ex fonte ſanguis fluens ſit (ut per narem dexteram indicatur) per baſilicam ſumme iuuatur, eo quòd id proprie euacuat, & hac ratione patet cur cucurbitula dextro hypocundrio applicita iuuamentum præſtet? At ſi in toto ultra hepar exiſteret redundantia, non utique illas ſatis eſſet cucurbitula ibi poſita ut frequenter inſpeximus, ſed plurimas quandoque in diuerſis & remotioribus partibus apponere neceſſarium foret, extrema quin etiam membra ligare oporteret, quæ nec fortaſſe ſufficerent, immo ad aquæ frigidæ balneum, & ad ſtupefacientia etiam deuenire, deni'que opus eſſet, iuuat ergo cucurbitula fluente è nare dextra ſanguine, quum ille ab hepate tanquam à proprio termino à quo atque è fonte emanauerit, ſecus uero minime: quod quum ita ſit tantum abeſt, ut ratio quæ in Achillem contra nos adducta eſt, nobis aduerſetur, ut etiam plurimum faueat, quam ob rem aduerſarii ſuo ſeipſos confodiunt gladio: Nos enim uolumus fluente materia à termino à quo ad terminum ad quem, eam non à termino ad quem, ſed à quo petere, fluente ex dextra nare ſanguine quæ in naribus ſunt uenas non ſecamus: Sed conſtringentibus utimur & iecorariam diducimus, ueluti à termino à quo materiam haurientem quod non minus faciendum eſt in baſilica ſiniſtra fluente ſanguine à ſiniſtra nare, pariter & fluente ſanguine ad coſtam dextram non eſt ab initio aſſumendus ſanguis ab illa uena quæ huiuſmodi coſtam uerius & proprius reſpicit, ſed ab ea à qua tanquam à termino à quo ſanguis mouetur alioqui Galeni ſecta huius diuerſitatem nobis asſignet. Quod uero dubitans ulterius nobis repugnet, quando ex inceſſu naturæ rectitudinem reprobauimus.

Profecto illud mecum ad hominem fuit argumentum, quo oſtenderem in huiuſmodi negocio de rectitudine ſeruanda, neminem adeo præcipitem eſſe debere, ut putet naturam & artem ſuas ſine ea operationes nunquam exercere poſſe, niſi temere, atque ſymptomatice, ut dubitans ſemper opinatus eſt, quum tamen multotiens natura,

&

& conſulto quidem ſine ea operetur, quod ſi natura hoc efficit
arti multo magis etiam id licebit, ſed ne quis noſtram eſſe hoc
placitum arbitretur, audiat Auicennam primi quarta ca-
pite tertio dicentem. Natura quoque plerunque taliter
” operatur, ut euacuet, non per partem qua conſueuit, ideo
” ut membrum cuſtodiat, quum fuerit debile. Et Pau-
” lo infra. Et plerunque etiam eſt, ut ſit id quod natu-
” ra euacuat ex parte longinqua & oppoſita, & cum ipſo
” remaneat ambiguitas, ſicut cum à capite ad anum, aut
” crus, euacuat ut non certe ſciatur an ex toto ſit cerebro, aut
” ex uno uentriculo. Hæc Auicenna ex quibus manifeſte
” colligitur naturam non ſemper rectitudinem obſeruare pre-
ter id quòd ab arte ſæpius comprobatum eſt ſine rectitudi-
ne per ſolam naturæ auerſionem ad contrarium ſanitatem
reſtitutam fuiſſe: & hæc pauca de rectitudine dixiſſe ſufficiat,
reliqua uero (ut leuia) relinquo.

Ad id autem in quo mihi rurſus aduerſatur ſermonem
uerto, dixeram nanque in inflammatione mammæ ſiue ali-
cuius. Superiori coſtæ facta pedis collateralis uenæ ſectio-
ne. Ad hunc potisſimum finem, ut rectitudo ſeruetur, ue-
ram ac ſimplicem, & (ut aiunt) formalem factam non fuiſ-
ſe reuulſionem, ſed eam à ſimplici plurimum declinare, (ſta-
tutum quum ſit) reuulſionem non niſi per contrarium fieri
debere, quam ob rem ſi humor conuerſus ad ſuperiorem
fuerit coſtam, probè eius reuulſio fiet ad inferius, quæ ſa-
nè ſimplici ſatisfacit differentiæ, ſed ſi talis regio præter id
quod ſuperioritatis rationem obtinet ſimul etiam dextrum
posſideat, congrue apteq; prorſus reuellere non poterimus:
Niſi æque per ſiniſtrum ac per inferius humorem retorquea-
mus, quum non minor ratio ſit, ſi duo inſpectu contraria
ſint, cur altero omiſſo, alterum præeligere debeamus, igi-
tur rectè ac iure merito reuellit, qui inflammata coſta de-
xtra pedem ſiniſtrum pertundit: Huic diſputans occurrit,
non enim inquit ipſe omnes aſſumptos eſſe à nobis oppoſitio-
nis modos, quum eũ prætermiſerimus qui ab ante ad retro ſit,
quẽ nimirum per ea quæ à nobis dicta ſunt in reuulſione etiam
ſeruari oporteat, quã ob rem perperã ac diminute præmiſſum
illud

illud à nobis aſſumptum fuiſſe inquit, quòd contraria ſint ſurſum & deorſum, dextrum & leuum, ſi ea contraria duntaxat eſſe ſumpſerimus. Verum ſi in iis etiam ante & retro intelligamus, in concluſione omnino defectus ſequetur: quandoquidem hoc pacto non à ſurſum in deorſum dextrum & ſiniſtrum modo, ſed & ab ante & retro reuellendum omnino foret, quod ſi hunc in reuulſione modum omittere fortaſſe ualeamus: Eum etiam qui a dextro in ſiniſtrum fit relinquere poterimus, ita ut non minus probè reuellamus, ſolum trahentes a ſuperiori ad inferius ac ſi utranque oppoſitionem ſeruaremus ſuperioris ſcilicet & inferioris, dextri & ſiniſtri, cui ego ſanè rei obuians dico meam rationem (quod uideam) in nullo delinquere, quum unicuiꝗ extenſum differentiæ ſpatium per quod moueri posſit mobile à natura, nulla noſtra concurrente imaginatione attributum fuerit. Et humor motus modo unam poſitionis differentiam, modo plures, per eius tranſlationem attingere posſit, ideo ſi ad plures poſitionis differentias moueatur, utique per totidem etiam oppoſitas (ſi probe reuellere uelimus) retorquere debemus. Nam qua ratione, quà've authoritate ſi tranſlati humoris terminus utranque comprehendit contrarietatem, hanc magis quàm illam poſſumus eligere? ſi ei contrariari directe intendimus præſertim, quum in animatorum motibus conſtituti ſimus? Profecto nulla ad hoc niſi uoluntaria in aduerſum asſignari poteſt ratio, niſi quæ ab aliqua animi bona ſpe, atque plurima confidentia prouenit, adducatur, ſed quod huiuſmodi dictum à ueris principiis prodeat, mihi manifeſtum non eſt. Quam ob rem quòd laborante coſta dextra princeps Arabum Auicenna, dextrum quoque pedem ſecuerit pro rectitudine ſeruanda, quæ nimirum reuulſioni, nec neceſſaria minúsque opportuna eſt. Quum ſimplex reuulſio propriam materiam non attingat, non eſt quòd à formali atque legitima reuulſione non deflexerit, ſola ipſe motus confidentia ac ſpe ubi alioqui Meſues rectius loquutus eſt, ac rationi magis adheſit, quum re uera reuulſio (ut reuulſio eſt) in mera contrarietate fundetur. Sicut ex aduerſo eius oppoſitum puta ſimplex euacuatio, atque ſimpliciter ſiue eius uicaria deriuatio omnem prorſus abhorret contrarietatem

tem . Quapropter Galenus cum ſecta errore maximo delinquit , quum moto humore ad ſuperiorem coſtam & forte ab omni differentia concitato eum qui trahendus erat ad inferiorem , & ſiniſtram partem , & anteriorem forſaſſe, aut poſteriorem (ſi ita contigerit) ad nullam tamen oppoſitam trahat differentiam . Concedimus nanque nos libenter, non ſolum duas, ſed uniuerſas, (ſi ita contingat) ſeruandas oppoſitiones eſſe, quia tamen in noſtra ratione præmiſimus , quòd motus ad dextrum & ſurſum duntaxat ſit , ideo nil amplius in concluſione quàm quod aſſumptum fuerit in præmiſſis colligere potuimus : Illud tamen quod ab aduerſario obiectum fuerat minime abnegamus .

Præterea dubitans inquit ſe plane intelligere non poſſe, quo nam pacto in oppoſita ſaphena maior ſit diſtantia, quæ maxime ſit ultra pollicis magnitudinem , item quomodo obliquitas plus in oppoſita quam in collaterali ſit, præterea nullam obliquitatis ſinuoſitatis've necesſitatem eſſe aſſerit, quum per copioſam ex collaterali ſanguinis misſione tolli posſit, ego uero ut breuitati ſtudeam quum de hoc alibi fuſius dixerim paucis reſpondebo , & primum quidem ad id quod ad diſtantiam attinet , quam pollicis inquit crasſitudinem non excedere , nam præter id quod tractus ad oppoſitam differentiam maximam refert diſtantiam , & ſi non materialem formalem ſaltem quod licet dubitanti non uideatur , tamen uiſum eſt naturæ tanto miſterio ſecernenti partem à parte, ac primo omnium magiſtro , illud etiam mirum uidetur , quo nam pacto corpus humanum ſi minus circulare, quadratum ad minus ſit linea quæ recta eſt, & coſta dicitur æquari minime poteſt diametro: quum ſi metros non ſit diametros , præterea ſi diſtantia hæc res tam exigua eſt, (ut ait) cur de tam exiguo infixit parieti pedibus . Doctores adeò enixe reluctantur , contenduntque hanc nullo pacto admittentes diſtantiam , aliquid igitur maius in ſe complectitur , quod uero præter hæc addatur id reuulſioni nihil ſuffragari quod ſanguinis copia maior in hac maiore diſtantia melius colligi ac contineri posſit . Hoc dubitans tacere poterat , quandoquidem,

doquidem hoc pacto ſuum totiusq; ſectæ ita dicentis errorem aperte detegit quæ ne paulo diſtantius (puta pollicis unius ſpacium) tranſgrediatur, hunc potius eligit abiicere ſanguinem, quàm modicum illud pertranſire ſpacium, quæ tamen res ſectæ ab initio morbi immaniter plurimas ſanguinis libras extrahenti parum quid & facillimum uideri poteſt comparata nanque tam magna ſanguinis copia extrahenda quæ intra id ſpacium contineri potuiſſet, ſi non ratione lineæ rectæ inter puncta oppoſita imaginatæ, quæ una tantum eſt, ut rite diſtantia uideatur, ratione tamen obliquarum per quas remeat ſanguis uere, quæ plures eſſe poſſunt, reuulſus contineri poteſt, quoniam ſanguis plurimas ſanè habet reuolutiones, grauius longe peccatum ſibi uidetur illud modicum pertranſire ſpacium quàm per theſauroillum ſeruare ſanguinem. Præterea ut licet inſpicere hoc eſt funditus ueram legitimam reuulſionem ſimpliciter erruere, quòd arti non modicum parit detrimentum, igitur (ut ad inſtitutum redeamus) fluente ſanguine ad dextras ſuperiores coſtas ſi ad inferius tantum trahatur legitimum ei non aſſignatur contrarium, quod alioqui ſeruata methodo, nulla quippe obſtante ratione niſi uoluntaria probè utique fieret, ſi ad inferius & ſiniſtrum traheretur, quum ad unum duntaxat deriuare ſed reuellere ex omni loco liceat modo ad contraria fiat, (ut diximus) de mente Galeni tertio artis med. ad unum enim tendimus centrum, ſed ab uno ad multa recedimus.

Cap. IX. in quo ea remouetur reſponſio quæ dicit quòd facta per uenarum phlobotomiam inanitione membra à uenis non attrahant, ſed contra potius.

D eam autem rationem alterius aduerſarii, qua ſecta a collaterali uena non poſſe ad affectum locum uacui ratione ac uiolentia humores confluere, enititur probare, quod inanitæ uenæ Galeni teſtimonio in libro de ſanitate tuenda à membris potius trahant, quàm membra à uenis. Dicimus non eſſe eam ad ſaluandum ſatis, quo minus in patiente particula, poſt eius primam factam inanitionem rurſus dolor redeat, atque inflammatio. Nam & ſi à membris uenæ inanitæ recipiant (damus enim hoc ei)

non ob id tamen eam functionem a membris quoque auferre oportet: Nam ſimiliter & eis quoties exhauſta fuerint: Attrahendi a uenis facultas inſita eſt: præſertim quum inter ea uiciſsitudo quædam, mutuaq; actio reperiatur, id quod omnibus etiam rebus commune eſt, nimirum ut quælibet quò uacuum euitet à proxima ſibi parte trahat. quòd ſi potiſsimum aliquando euenerit corporis aliquam particulam, atque ei coniunctas propinquasq; uenas per proximam uenæ ſectionem inaniri (non enim negamus ſecta uena aliqua magna, eam trahere a minori poſſe, rurſus hanc à minimis ac capillaribus, & ut ſequens eſt a membris ipſis ueluti ſuæ innuunt propoſitiones) ubi inquam talis inanitio facta fuerit, reliquo corporis plenitudine adhuc laborante, quo nam ſanè pacto clauſa uena fieri poterit, quin uenæ illæ tunc inanitæ, atque ea corporis particula non uehementer enixe've ab aliis uenis attrahant. Hoc profectò pleno ore fatendum eſt, quinimmo euidentius multò eſt, quam ut quiſpiam de eo ſuſpicari debeat. Quam obrem, qui mihi pro ſecta aduerſaris, in eadem adhuc laboras area, nec planè uideo, quo pacto ſi in eadem perſtes, maiorem pernicioſioremq; phlegmonem clauſa uena euitare poſsis, atq; à tanto periculo te abſoluere.

Cap. X. in quo ab aduerſario cuiuſdam morbi curationis à Galeno poſite examen excuſatur, quod idem nobis obtulerat.

h Ic ſtudio Galeni curationem prætereo, quam ulceroſæ adhibet laſsitudini, longior enim quàm par ſit à propoſito receſſus foret: Nam & hactenus fortaſſe ſermonem adeò protulimus, ut uerear, ne prolixitas legentibus ſit tedium allatura: Sed tamen id ea cauſa fecimus (ut noſtra hæc medendi ratio hominum mentibus firmius imprimatur) Opppoſitæ uero peſtiferæ radicitus euellantur germina: Omiſſa igitur aduerſus ipſam diſceptatione quo citius cepto operi finem imponamus: Ad id quod reliquum eſt deinceps me conuerto.

Cap.

Capitulum undecimum, in quo ea remouetur reſponſio qua contendit ſecta per collateralem baſilicam in principio etiam reuelli poſſe

1 Eſtat nunc imaginariam illam corporis diuiſionem qua duce multis factis collationibus oppoſitiones omnes in hac ſanguinis miſſione ſaluare contendunt, illam in quam quæ ab uniuerſa ſecta, ceu archanum quoddam habetur, funditus euertere, quę quidem mihi vana, puerilisq;(abſit verbo iniuria) adeo uidetur, ut quoties eam conſidero, continuo in mentem veniat pulchra illa Platonis ſententia, quam in commentario de legibus ſub iis poſuit verbis, Vbi ſenes impudicè loquentes ſunt, non ibi ſenes, ſed pueri potius exiſtunt, quó fit, ut quum è cortinis eorum tam leuia, tam inſulſa exire conſpiciam, non ſatis per Iouem admirari ualeam, Quo pacto tam inania à tot grauiſſimis viris vno ore, uno omnium concentu prodire unquam potuerint: hæc profecto illa ſunt, quę non à compitis phyſiologorum modo, verum & medicorum areis repelli, ablegariq; penitus debent, ſicut contra inſciè ac profanè nimis ii voluerunt, noſtra à medicorum areis prorſus repelli, hoc ſuo duntaxat errore, quod philoſophię perfuſa ſplenderent cuncta lepore: Video nanque eos de animali, quinimmo ut rectius dicam, de homine qui ita ad deos immortales proximè accedit, non ſecus verba facere ac ſi lapideum eundem, aut ex alia quauis materia effictum præ manibus diiudicandum haberent, in quó tamen ſex illæ poſitionis differentiæ, quas ſpecies nominare liceat, minimè in uita vacantibus niſi ſecundũ imaginationem duntaxat, vt teſtatur Auerrois ex mente Ariſtotelis tertio phyſicorũ & in ſecundo de Cœlo, Superũ nanque & inferum (ut ab iſtis exordiar) alimenti ut inquit Ariſtoteles ſeu crementi ratione, iis quibus inſunt accomodantur. Ea propter duo hęc à ſe inuicem maxime diſtinguntur, ac non loco tantum ſituque, ſed forma, & facultate diſſident, dextrum uero ſiniſtrumque penes motum, qui ſecundum locum fit attenditur, unde id eſſe dextrum dicimus à quo latio incipit, leuum ad quod tendit, quæ quamquam figura diſſimilia eſſe non videantur, loco tamen, uirtuteq; plurimum ſunt ſeparata. Porro ante & oppoſitum, quæ duę ultimæ dimenſiones ſunt à ſenſibus occaſionem ſumunt, id enim ante nũcupamus, unde ſenſuũ motus initium capit, ſenſus vero eos intelligas uelim, qui melioris ferè

notę gratia animalibus dati ſunt, quosque veluti rectores appellare decet, nam tactus qui animali neceſſarius eſt per uniuerſum corpus eſt diſſipatus, quo fit ut animalia omnia his poſitionis differentiis potita ſint, licet quædam clarius ut quæ progreſſu incedunt, quędam obſcurius, ut quæ in loco etiam non ad locum mouentur, veluti turbinata ſunt, aut quę ſola reptione externum adipiſcuntur locum, ut in libris de animalibus fuſius primus nos docuit magiſter; Plantæ autem utpote uegetabili tantũ uita præditę reliquorum quatuor expertes ea duo ſolum ſunt aſſequutę, quæ ad alimentum, ſiue accretionis motum pertinet, ſupra nimirum atque infra, aliorum autem corporũ nullum quod uita careat, ex prædictis differentiis aliquam ſortitum eſt: Verum hic non ſilendũ puto, ſolertis naturæ ingeniũ Deiq; benedicti in hominem munificentiam, quamuis contradictor nimis impatienter iſthęc audias, quum hic ut ſilerem, monuiſſe veritus non fueris, quæ a DEO OPTIMO MAXIMO quum ſint, mox a diuinis philoſophiis ſcrutata, ſilentio nequaquam prętercam. Dedere nanque DEVS ET NATVRA Concordes rei illi quæ inter viuentia caduca ſupremũ atque perfectiorem obtinuit gradum, Homini inquam ſupremũ ſimpliciter exquiſitè ve tanquam Cœlo magis cognato, vnde ipſe ſuũ capit alimentũ, ceu quoque per inferum excrementũ ſeparat, atque ſecernit, infimo vero animatorũ generi quale videlicet ſtirpiũ natura exiſtit, contrariũ penitus tribuit. Huius enim ſurſum Cœlo extreme opponitur, ſiquidem humi perpetuo adhętet, quòd ab ea alimentũ hauriat, perinde ac ſuperfluũ humorem per folia floresque emittit, quo fit, ut hominem Ariſtoteles euerſam plantam ſcitè admodũ nuncupauerit, proinde vero animalibus brutis quæ in medio duorũ horũ generum limine poſita ſunt, ſuperũ medio datũ eſt modo. Quamobrem nec directe Cœlũ intuentur, ſed oblique atque à lateribus potius. Quæ quũ ita ſint, eleganter ſanè quiſpiam dixerit, quod qui inter homines continue oculos in cœlũ dirigit, is potiſſimũ hominem DEO OPTIMO MAXIMO, proximũ agit, maxime autem cœlum aſpicit, qui iugiter in Dei Cœleſtisq; corporis contemplatione verſatur, at qui ſpeculationibus relictis ſenſibus tantum paret, illucq; potiſſimũ rapitur, quo ei magis libuerit, is equidem non niſi obliquè Cœlum reſpicit, ac brutorum uitam degit, qui ſi præterea, ventri & gulæ præcipitem ſe dedat

terrę

terræ affixus ac rectius inuerſus homo quàm inuerſa planta dici merebitur, non ſunt igitur (ut ad rem propoſitam reuertamur) quum de homine agitur, de lapideo aut mortuo uerba facienda, quinimmo qui uita fungitur ac uiuentium munia obit nobis ſubiiciendus eſt, huic nanque ſapientisſimus CREATOR DEVS, Naturaq; Sagax, ſex illas iam a nobis dictas dimenſiones ſiue principia, perinde ac cœlo cæterisq; animalibus tribuerunt, quadam tamen in iis ſeruata proportione plantis uero atque iis quæ ad plantas propius accedere uidentur, duo duntaxat (ut diximus) quæ penes alimenti rationem attenduntur, conceſſere: Illud tamen quòd ex noſtra quidem humili officina prodit, certo auſim affirmare, nimirum quòd ſtirpes quaquam ex ingenita eis natura has omnes differentias nequaquam ſunt aſſecutæ. Quodamtenus tamen ex cœli directione aſpectu've ipſas adeo extrinſecus adeptæ ſunt, ut nullo noſtro adhibito negocio, nullo've conſilio, nulla data opera, earum inter ſe partes disſideant, nempè quæ ad dextram uergit cœli partem, nullo pacto illius fungetur munere, quæ ad ſiniſtrum ſpectat: Itidem nec quæ leuam aſpicit dextræ uices unquam agere poterit. Porrò quod de iis dicimus, idem de anteriori poſteriori've intelligi uelim: audio nanque ex fide dignis uiris quibus ex quotidiano experimento, hoc uſque adeo compertum eſt, ut minus de eo propemodum quàm de morte ambigant, plantarum partes in muſicis conficiendis inſtrumentis adeò differre, ut quòd ex hac conficiatur raucum: Ex illa uero ſonorum perpetuo euadat inſtrumentum: Ex ea enim parte, quæ ad orientem uerſa eſt, ſonorum adeò efficitur, ut tam ſuauem emittat ſonum quo dulcior, lenior've deſiderari nequeat, ex ſiniſtra uero aque ea quæ ad occaſum uergit, non æque quaquam omnino non multum differunt, at ab illa quæ ad meridiem expoſita eſt acuta admodum perſtrepenſque uox emittitur, ſicut contra ad aquilonem uergens rauca clamoſaq; eſt: quam ob rem periti artifices hanc animaduertentes rem, eas priuſquam plantæ euellantur partes notant. Quo deinceps meliores à prioribus ſeligant, ac ſecernant mox quæ magis illis cordi fuerint inſtrumenta aptius conſtruunt: enim uero, & idem in fructibus euenire uidemus, ut quòd ſolem naſcentem aſpiciant, uiuido quodam fulgeant colore, qui ad meridiem rubore niteant intenſo: atqui ad aquilonem ſpectant, non pallidos tantum incoloreſque. Sed & inſipidos, præte-

rea experiamur: Igitur quum iſthæc plantis accidant, quis hedepol tam mentis inops eſt, qui multo magis homini id contingere negare audeat? Alioqui quid impediret, quominus hominum quàm brutorum conditionem deteriorem diceremus? DII BONI, quod monſtrum noſtra hæc ætas peperit, quos homines produxit, qui quanuis errores cognoſcant, illos tamen enixe ac pertinaciter defendunt, agite uos qui Galenum ita adamuſſim ſectamini, iam pallio tegite faciem, ne uos iſthæc tam plebea loquentes mundus dignoſcat, iam enim non amplius medici phyſiologici'ue, ſed mathematici potius ac fortaſſe fabriliginarii nuncupandi eſtis: Siquidem hominis partes per ulnas digitorumq́ menſuram diuiditis ac circa materialem diuiſionem occupati formalem prorſus negligitis, ſic namq́ planè conſtat. Vos uel Ariſtotelis mentem in ſecundo de Cœlo commentario. Et inde animalium libellis nunq̃ nouiſſe, aut eius dictorum penitus immemores eſſe. Eis enim in locis has ſitus differentias, & Cœlo, & animalibus non ex libito, uoluntateq́ noſtra. Sed ex rei ipſius natura ineſſe docuit. Parteſq́ in eis ita eſſe (in homine præſertim) ut inter ſe loco uirtuteq́ diſſideant, quæ ſanè diſtinctio penes formam nequaquam materiæ ratione attenditur. Quo fit ut formalis omnino non materialis nuncupari debeat. Siquidem non ex materia, aut partium quantitate, ſed ex propria regionis forma exoritur, quæ quidem ob id quòd indiuiſibilis inuariabiliſq́ prorſus exiſtit. Efficit, ut quod uni regionis conuenit parti, aut repugnat, id etiam uniuerſæ illi probè conueniat, diſconueniat'ue. Quamobrem totum illud quod unius eſt differentiæ, unius quoq́ eſt formæ, quæ à totius forma colligitur. Qua de re pars ea quæ ſemel dextra eſt eadem non eſſe dextra perpetuo non poterit, quum in omnibus ſecundum naturam diſpoſitis ea ſit principium motus. Qua ſiquidem ratione, Ariſtoteles in commentariis allegatis, eaſdem eſſe partes dextras in omnibus animalibus edocuit, licet in omnibus, & dextra, & ſiniſtra, non uſquequaque ſeiugatæ ſint, ſed in abſolutis omnibus præſertim in hominibus qui uere ſecundum naturam ſunt, huiuſmodi utique partes maxime diſterminatæ ſunt, addit etiam philoſophus quòd quæ ſemel dextra ſunt, ſemper talia ſunt, in eis nimirum dextris, in quibus nihil ſiniſtri eſt, ſecus uero in Turbinatis res ſe habet, quippe quæ dextrum, & ſiniſtrum commiſtum habeant, quare

quæ

quæ dextra eſt regio unius eſt ſimplicis rationis. Et nulla noſtra comparatione uariabilis, idem quoque de ſiniſtra dicendum eſt. Quod ergo regionis illius cuipiam competit particulæ, id regioni etiam uniuerſæ congruere neceſſarium eſt, hinc manifeſte illius queſiti detegitur ueritas. Quod ſuperius a nobis fuerat addubitatum, de ſecanda ſcilicet in elatioribus humilioribusq́ coſtis uena, eandem nanque de mediis infimis've rationem eſſe, ex nuper à nobis dictum perſpicuum eſt. qualem & in ſuperioribus eſſe non ignoramus. Nam quas uires in ſupremis coſtis axillaris posſidet, eaſdem in tota regione uniuerſa've differentia penitus retinet, utpote quòd id quod ſemel dextrum eſt idem ſemper eſſe neceſſarium ſit, uniuerſamq́ loci unius differentiam, eiuſdem prorſus cum partibus rationis eſſe oporteat.

Proinde ſi uir ille qui nouisſime hanc ſubiit Paleſtram ita planè dixiſſet, nihil referre, quo pacto uenam quis ſecet, ſiue ſuperiores, ſiue inferiores coſtas inflammatio obſederit, quando eius opportunum fuerit tempus, neutiquam peccaſſet, quandoquidem hoc non ualde abſimile ab ea diſceptatione eſt, quæ de caprina lana, aut aſini umbra habetur, nam ſuperi & inferi eiuſdem prorſus differentia diuerſitas uenæ ſectionem non euariat: at quum nequaquam ita dixerit, ſed quod utrauis thoracis parte phlegmone infeſtata in principio utriuſque lateris uenam ſecari poſſe dixerit, præſertim quum phlegmone inferiores octo coſtas infeſtauerit, ea nimirum de cauſa quòd a ſola ſine coniuge uena per medium deflexa alimentum capiant, non eſt quòd ipſum ab errore uindicem, ſicut nanque ſuperiores coſtæ ex ramis illius quæ ſine pari eſt alimentum ſumunt, qui utrinque ex ea ad ſingulas coſtas procedunt ita ſiue coſtæ ſupernæ a ramis ortis a caua uel baſylica ſiue inferne ab iis quæ ab azigon prodeunt nutriantur, noſtrum minime euariant propoſitum. Nempe quomodo altiores baſylica euacuat coſtas licet eas non pertingat. Eodem ſanè & humiliores a ſine coniuge uena enutritas exhaurit, quod autem ab eius uenæ propaginibus propter ea quòd illorum ſtipes in medio ſit utranque axillarem ſanguinem æque euacuare ſibi ipſi perſuaſerit, id illi potisſimum, ea de cauſa accidit, quòd per ulnas cubitos've corporis interſtitium metiatur, minime uero per formalem diſtinctionem ipſum partiatur ac menſuret, atqui licet eo pacto nullum inter dextram ſiniſtramq́ partem diſcrimen eſſe uideatur, ſi tamen ut nos dicimus, ac ut quàm

maxime oportet, menſuretur: tanta quippe inter ipſas comperie- tur differentia, quanta oriens ab occidente ſeiungitur: Nam par uus mundus (homo quum ſit) proportione orbi reſpondet: alius enim ſitus, alia uirtus, atque alius utriſque ineſt inceſſus, quò ſit, ut ſumme inter ſe opponantur: quare qui in pleuritide dex- tra dextram baſilicam inter initia ſecare agreditur, is toto aber- rat Cœlo, ac non ſecus uoti ſpe fruſtratur: quàm ſi portum ad occi- duam plagam expoſitum querens, ad orientalem deflectat: atque eo iter carpat, profecto non æqualis, tanta'ue a nobis inquirenda eſt diſtantia, ſed illa quæ cum contrarietate exiſtit, hæc nanq; mor- bum auertendo tollit, illa uero quæ omnino contrarietate uacat illum conuertendo auget. Quippe ut uides contradictor hoc maxi mum eſt diſcrimen, quod a mathematice, non phyſice menſuran- tibus non ſentitur. Hinc patet, quanta reuulſio ea ſit, quæ po- ſterioribus capitis dolentibus per frontis uenam inciſam intendi- tur, ueluti diuo Hippocrati uiſum eſt: nam re uera magna eſt, quum ceu a ſeptentrione ad meridie ducat, quum ſit a retro ad ante, ac per diuerſum motum ad contrarias omnino ducat differentias. Huius enim magnitudinis diſtantiæ excellentia non materialem quippe, ſed formalem potius inſequitur menſuram, his modo pro be declaratis illius nodi facilis diſſolutio apparet ob quem ma- gnæ (licet uanæ) exiſtimationis uir quidem dum in publica di- ſceptatione acrius ei fortaſſe inſtaretur fermè obmutuit: quum enim a quopiam interrogaretur, quo nam pacto ab inferioribus coſtis inflammatis, quæ è directo earum eſt uenam ſanguinem euacuare poteſt, præſertim quum nullibi eas pertingat: nec cum ea quæ ſine coniuge uena eſt, a cuius ramis inferiores coſtæ nu- triuntur, ullo pacto communicet: uix habuit quid reſponderet, coactusq; fuit ad ea quæ ſenſu percipi non poſſunt, ac (ut dici- tur) ad inuiſibilia confugere. Quum tamen res hæc adeo per- ſpicua ſit, ut manibus eam propemodum attingere liceat: nam quum Axillaris utraque (ut ubi de uenarum ſectione egimus lo- cupletisſime à nobis dictum eſt) uim poteſtatemq; ſupra ſubdi- tam thoracis partem ſibi uendicet, ut ſecundo de rat.uic.in acu. Claro ſermone dicit Galenus non iniuria partem illam prompte euacuare poteſt, & non eam modo uerum etiam (ut experimentũ indies teſtatur) uniuerſam regionem, quæ a tota ea differentia cir cumſcribitur, optime exhaurire cernimus. Sicut ergo planè non thoracis tantum dextram partem baſilicam dextram euacua- re fateri

re fateri debemus. Quinimmo & iecur ipſum ſic ſiniſtra, & coſtas ſiniſtras & lienem perbelle exhaurit, ſed tamen axillaris dextra ſanguinem primo ac proprie á leua parte nullo pacto euacuat, niſi eo quo ſupra diximus modo, quod non minus de ſiniſtra agendum eſt reſpectu thoracis partis dextrę, quam propriè ac primo non exhaurit, nihil enim refert iſta potius an alia uena ad eas partes ramos transmittat, modo baſilica attrahente ad cauam venam ſanguis remeet mox á caua in baſilicam deferatur, id quod commode fieri poſſet, quum iſthæc uena dictis partibus proxima ſit, ac rectitudinem preterea cum illis ſeruet: Rectitudo enim proximitasq; (vt diximus) quoties euacuare intendimus, omnino ac diligenter à nobis perquirendæ ſunt, At negligendæ prorſus vbi reuulſio duntaxat neceſſaria ſit: In qua re tota Galeni ſecta decepta eſt, utpote quæ Cathixim ac directionem perpetuo quęrat: Deceptio autem hæc eſt á ſecundum quid, ad ſimpliciter, ut dialecticorum terminis utar, quemadmodum olim diximus. Hinc meridiana luce clarius intueri licet, quàm noſtra hęc opinio ſuę longè perferenda ſit, quàmq; ſapientius naturæ fundamentis inhęreat: Hominem penes formalem diuiſionem faciens, ſicut hii contra illum penes quantitatem duntaxat diuidunt, quum tamen hęc ad mathematicos, illa autem ad naturales vere pertineat: At qui ſanè non mathematicæ, ſed philoſophiæ, medica iſthęc ars ſubiecta eſt, hoc pręterea eorum placitum pręter hoc quòd ſic ad mathematicam transgreſſum faciat, inconuenientia etiam complura eos fateri cogit, quinimmo quòd maius eſt ab artis præceptis omnino recedit: Ars enim in inflammationis principiis currentes humores ad contraria retorquere iubet, & eis reuulſionem adhibere, qui planè artis motus ei contrarius eſt, quo natura ſponte humores ad inflammationem mouet, patet autem hoc artem per eandem differentiam facere non poſſe (ſi Hippocrati credendum eſt) quum epidimiatum primo ſanguinem aut alios quoscunq; ſuccos ab aliquo mēbro amouere docet per conuerſionem ad contraria loca, id quòd Galenus Methodi. V. ſub iis retulit verbis, videlicet: Auertitur autem ſanguis atque ad alia conuertitur membra, tum ad proxima deriuatus, tum ad contraria reuulſus, illum parocheteuſim, hunc antiſpaſim Græci uocant, nam hęc Hippocratis inuenta ſunt, quę deinde per exempla manuducens, inquit, deriuatio ad uicina fit, quum id quod per palatum uacuatur, per

nares

nares transfertur . Ad contraria vero reuulſio fit, quum ex ſuperioribus ad inferna reuellitur, ex quibus ſanè uerbis patet Galenum non minus & Hippocratem Sectę huic aduerſari, quum à palato ad nares reuulſionem fieri poſſe nolint: Sed probe reuulſionem agi velint à ſuperioribus ad inferiora: Quòd ſi ad diuerſa membra ſufficeret auertere, nihil prohiberet, quò minus a palato ad nares reuulſio fieret, quę quum non fiat, pariter nec à coſta dextra ad brachium dextrum reuulſio effici poteſt: Vnde quũ huius oppoſitum dicat Galenus, a ſui met contradictione minime defendi poteſt.

Non is tamen ſum, qui negem ſanguinis motum ſiue à natura fiat, velut quum ſanguis ad coſtas dextras ab eadem dextra & proxima parte fluit, aut ab arte, (vt quum proxima dolenti membro ſecatur uena) inter contrarios terminos exiſtere, ſi nanq; horum vterq; motus eſt, neceſſario inter contrarios terminos fiet, huiuſmodi autem contrarietas ad eam attinet oppoſitionem quę locali motui conuenit, in quo ut quinto, & octauo phiſicorum dicit Auerois contrarietas plurimum obſcura eſt, in eadem præſertim differentia facta quæ nimirum eadem poſitionis differentia (diuiſibile ſpacium quum ſit) in ſe motum fieri admittit: eſt autem terminorum contrarietas in eadem differentia, quæ ab uno (vt aiunt) totali vbi, in aliud fit, cuius ratione vnum alteri penitus incompoſſibile eſt, quæ plane oppoſitio nomine caret, quemadmodum & multæ odorum, & saporum ſpecies innominatę ſunt: Hęc omnia ita obiter dixiſſe volui, ut cuidam de huiuscę contrarietatis natura enixè quęrenti ſatisfacerem: Amplius manifeſtũ eſt hos motus inuicem contrarios eſſe, licet in eadem ambo fiant differentia, nam ſi ſanguis qui ad coſtam dextram prius fluxerat, mox per dextri brachii uenæ ſectionem ab eadem recedit, nulli non perſpicuum eſſe debet, ipſum contrario motu moueri. Quamobrem contrarii utique ii duo motus ſunt, ſicut acceſſus receſſui aduerſatur, & è contra, quamuis uterque in eadem poſitionis fiat differentia: Verũ non ea opponuntur contrarietate quę ad reuulſionem faciat, nam pręter terminorũ contrarietatem quæ ad vnitatem eſſentiamq; motus conducit, ac pręter duorum motuũ inuicem contrarietatem, ut inter eos reuulſio accidere poſſit, aliud quippiam adhuc neceſſario requiritur, nimirum poſitionis differentiarum mutatio, quę ubi non adſit, reuulſio nullo vnquam pacto fieri poteſt

Hic uaniſſimorum eſt lapſus

ri poteſt: Sanguinis autem motus qui a dextra parte ad coſtam quoque dextram fit, titubationis prolibito uocari poterit, qui uero per dextram uenæ ſectionem eundem a priori curſu reuocantem fit euacuationis motus dici debet, quoniam non reuulſioni, ſed euacuationi & deriuationi inſeruit quas conſequitur ad illam differentiam attractio, quæ reuulſioni omnino contrariatur, quam ob rem hac ſuppoſita ueritate nempè quòd in homine poſitioni differentiæ à natura exiſtant, per eandem ſanè differentiam reuulſionis munus aſſequi poſſe eſt impoſſibile, quod ſi liceret inſigne quidem illud artis præceptum irritum penitus maneret, quòd iubet reuulſionem ad contrarias poſitionis differentias fieri debere, hunc profectò nodum ſecta nunquam explicare poterit: niſi omnino à philoſophia deſciſcat, nam planè ſatis ei non uidetur medicam hanc artem deturpare, niſi & tetrico quodam ueneno philoſophiæ caſtitatem corrumpat, agite igitur uiri Gallenici alioqui ſapientiſſimi æqui, boniq́ue aliquando conſulite: Atque ab eo uos faſcino quo certe laboratis, ſoluite archanumq́ue hoc ueſtrum in lætem proiicere uos non pudeat, ne ulla amplius apud poſteros illius ſuperſit memoria.

Cap. XII. in quo examinis quorundam contradictionum in Galeni dictis ponitur excuſatio.

r Eſtat poſtremo quæ tanquam Galeni appologetica adducuntur, ne ſecum pugnare uideantur, ea tanquam inutilia rurſus impugnare: Verum quum de eorum nonnullis, ueluti de iis quæ menſes prouocant, urinam cient, nam uidelicet in inflammatis renibus utero've inter initia adminiſtrare liceat, ſatis ſuperq́ue quod ad præſens negotium attinet, ubi de uenarum inceſſu egimus, dictum ſit, illa rurſus referre ſuperuacuum eſſe exiſtimo, quam ob rem illis omiſſis ad id quod reliquum eſt accingamur.

Cap. XIII. in quo inepta Galeni per aduerſarium facta defenſio remouetur.

s Tudet quidam omni ingenio Galenum oſtendere, ſibi & artis præceptis nequaquam repugnare, & quum in cuiuſuis phlegmonis initio ad contraria & longinqua reuellendum

reuellendum eſſe dicit, mox in pleuritidis principio eiuſdem lateris uenam incidi iubeat, id ſedulo duntaxat inquit obſeruandum eſſe, quum amota prorſus omni euacuatione tantum reuellere intendimus. Verum quum in lateris dolore ob morbi acuitatem reuulſio ſola non queratur, ſed euacuationi aſſociata, idcirco in eius morbi initio, Theorema locum non habere contendit: Hic eſt eius pro Galeno clypeus. Ego uero quo pacto ipſum muniat, planè non uideo, nam præter id quòd ſuimet contradictionem ſuperius etiam à nobis dictam rurſus incurrit. Quum in medica facultate ſimplices reperiri phlobotomias, quæ aut tantum euacuent, aut tantum reuellant, iam negauerit, probatum etiam à nobis antea eſt: per artis ſolidum præceptum: Non eſſe, inter initia idem latus tentandum, tum quòd materia, quæ ibi tunc eſt adeò modica ſit, ut medici mentem ad ſe mouere non ſit ſatis, tum quòd ab affecto minime retrahat loco, ipſe uero id potiſſimum licere affirmat, quum euacuare etiam intendimus. Verum ſatis ſuperq; monſtratum à nobis antea eſt, & reuellere, & euacuare ſimul utiq; licere, per oppoſiti uidelicet brachii uenam, at per eandem collateralem impoſſibile omnino eſſe, & planè rationibus illis nunquam factum eſt ſatis. Quam ob rem nihil eſt quod dicit. Nec Galeni dictorum repugnantiam tollit quin potius principium petere contradictor uidetur: quum idquod nequaquam licet, ita ſibi ſummat, ac ſi maxime liceret, uerum enimuero ita eum loqui concedamus, ut dicat idem latus tentari poſſe, quoniam reuellat, at ne id uerum fortaſſe erit? Minime inquam, ſiquidem id ueritati conſentiat, quod ex Topicis regulis ſcriptum eſt, nempe quòd una diffinitionis deſtructa particula totum neceſſario corruit, definitio enim a forma rei quæ indiuiſibilis eſt, & ab eius eſſentia exoritur, quò fit ut eam quoque in uniuerſum corruere neceſſarium ſit, quam ob rem ſi quæpiam illius pars auferatur: Vninerſa omnino tollitur, ac cum ea diffinitum, quod ſi omnes auferantur, non ne id magis adhuc euenire' fatendum eſt? Atqui ab ea quæ in directo eſt patientis lateris uena (tantum abeſt) ut una diffinitionis particula auferatur ut omnes etiam tollantur, reuulſio enim ex diſtantia contrarietateq; conſtituitur, quarum neutra dictæ modo uenæ conuenit, itaque hæc reuulſio nullo quidem ei pacto coaptari poteſt, uerum hoc fortaſſe rationales naturalesq; diſciplinas negligentibus leue utique inconueniens uidebitur, ſed tamen

futurum

futurũ non dubito,quin ii qui eas probè nouerint, illud tanquam maxime abhorreant, ac rationibus iſtis fidem plurimã adhibeant.

Cap. XIIII. in quo confecta pugna utriusq; contrariæ poſitionis inuicem fit comparatio.

h Is uiſis, patere iam poteſt, illis qui iudicio valent, quæ nam harum poſitionum in huiusmodi paleſtra ſuperior ſit, cuius ve curandi ratio diſſectioni uenarum, methodisq; magis ſit conſentanea, atque à periculo ſit remotior, noſter etenim curationis modus artis principia, canonesque omnes probè obſeruat: Nec à timore, alio ue quopiam affectu perturbatus ab eis unquam diſcedit, ad hęc facillime ac non ſcite modo, ſed & prudenter admodum opera artis exercet, nam ſi primo adhibito prę ſidio, quo certe frequenter ſanitatem reſtitutam uidimus, æger non euadat, ſupereſt ſecundum, poſt quod (ſi neceſſitas ita poſcat) habetur & tertium, quo explicito cogente adhuc re ipſa, reſtat & aliud auxilii genus per quod amiſſa ueletudo recuperetur: Atque hoc pacto prudens medicus oportunum aliquod ſalubreque remedium, tanquam in theſauro quoddam reconditum ad manus ſemper habet: At contra ſectę modus nec rationalis, nec Anathomiæ conformis, quin nec (quod magis quispiam admiretur) poſſibilis eſt, ſiquidem per ipſum neceſſe eſt, copioſum aut modicum extrahere ſanguinem. At multum ſanè humoris hauriri non conceditur, quum modicus adhuc in principio collectus in loco ſit, alioquin ab eo in quo non eſt loco ipſum educi contingeret, Id quod ſecta abhorret; nec planè paucum, quandoquidem, (ut ſuperius dictum eſt) amplior multo ad affectam particulam attractio fieret, rurſus imprudens modus eſt, quum ceu prodigus omnem unica actione facultatem profundat, quò fit, ut nihil ei denique ſit reliquum, quod (ſi opus fuerit) impendat. Quamobrem nullus ipsum periculi expertem eſſe dixerit, quòd ſi fortaſſe per eum rectè res cedat, natura aduerſus morbum ęque ac contra eiusmodi auxilium pugnãte, id profectò ei ſimile eſt quòd quartana laborantibus in mare

m proiectis

proiectis euenire diximus.

Nec eſt quod quiſpiam particularibus euentis iis fidem adhibeat à quibus medicinales canones non ſeruantur, iuxta illud Galeni dictũ in aduerſarios iure retorquendũ, qui particularibus experimentis veris poſthabitis methodis innititur, hic planè claudus atque altero crure defectuoſus progreditur, nec dignus eſt cui fides ulla adhibeatur: Nemo igitur profectò dubitauerit noſtrum hunc operandi modum eo quo ſecta utitur, meliorem eſſe ac magis eligendum, prę ſertim vel eis ſponte confitentibus etiam eum ab errore immunem eſſe, ac minus peccaturum, qui ipſo vti velit: Quinimmo à uitæ diſcrimine tantum diſtat, vt etiam interficere volens, nequeat. Poſitus in exemplo eſt barbitonſor, qui cum vetulam in vxorem duxiſſet, atq; ob vetuſtatem tedio affectus eſſet, en quod mulier in pleuritidem incidit, ex qua diſſolui Barbitonſor ſperabat, propoſuitq; ſibi venæ ſectionem, ſed quia tam uulgatus erat nouus Galeni curandi modus, videlicet ſtatim eam patientis lateris venam ſeccare, tanquam ſalutis portus, illã vt ſibi infortunium euitauit, atq; oppoſitam vt non ſalubrem nec congruam, ſecauit. Mox (inſtante ęgra) medicũ conſuluit, cui dixit caſum, & quod ſibi venam ſecuerit, Peciit autem medicus, quam nam accepiſti venam, dixit oppoſitam. Cui dixit medicus, minus malè feciſti, nam ab eodem latere hauriendo interfeciſſes: Modo tu caſſiam propines deinde ad me reddeas, nec ei vinum des, reſpondit Barbitonſor, ipſa non vult, caſſiã, nec uinum, etiam ſi ego dare uellem, eamque ad octauam uſque diem perduxit. Anceps Barbitonsor quum ægra nec periret, nec ſanaretur, Medici verborum memor, quòd ſi ab eodem latere uenam ſecuiſſet, quòd interfeciſſet, ſtatuit eam aperire, ac copioſè, ut vitam cum ſanguine finiret, quo munere functus eam prorſus liberauit, & ita hac ſemita interficere volens, non potuit. Et ſic quàm tutus ſit hic noſter medendi modus, unicuiq; patere poteſt, quod ſanè de ſuo ipſe non dixerim, propter cauſas alibi dictas: At nec illud quidem impedimento eſſe poteſt, quod quidam obiiciunt, nos longius quàm par ſit curationem protrahere, id enim falſum eſſe plerunq; res ipſa indicat, nam ſępenumero primam ſanguinis miſſionem, frequentiſſime alteram ſatis ad ſanitatem fuiſſe conſpeximus, Rariſſime euacuatiua duntaxat in-

diguimus

diguimus. Prius enim æger liberatur, quàm ea neceſſaria ſit: Nempe adeo cita ſuccedit ſanitas, ut rarenter admodum xiiii. diem pertranſeat. Quod in Anaxione contingere Hippocrati minus potuit: Sed ſi quispiam peruicaci animo eam omnino prolixiorem fieri contendat, id ei nobis in promptu eſt reſpondere, quod Theopompū Spartanū regē dixiſſe fertur. Is enim quū a Ligurgo legislatore optimo patriam probè inſtitutam uideret, èo excepto, quód regem legibus ſolutum permiſiſſet, proprias ipſe ſibi, & ſucceſſoribus regibus leges tulit, quibus in poſterum, & ipſi cohiberi, iuſtaq; vltione per ſeptem ab eo uocatos eforos puniri poſſent: Quod factum, quum ei uxor vicio uerteret, nempe quòd humilius ac ſtrictius regnū reddidiſſet, ac tale filiis relictu rus eſſet, quale à maioribus ipſe non accepiſſet, reſpondiſſe inquiunt, Humilius ego quidem feci regnum, longius tamen firmius ac diuturnius: Ita quoq; & nos reſpondemus. Si longior fortaſſe cuipiam pruritum patienti, noſtra hęc curandi ratio uideatur, At ſalubrior tamen, tutiorq; certe efficitur, quippe quæ rationem nullo pacto tergiuerſetur, ſed illi potius quàm maxime inhæreat: At de hoc ſatis: Tempus enim eſſet perfecta iam pugna recptui tandem canere, atque intra proprium uallum milites reuocare: Sed id prius fieri opportunū non eſt, quám paſſim ſparſę colligantur ſarcinulæ, quibus collectis, illico modū faciam.

Cap. XV, in quo epilogus totius operis adducitur.

h Actenus igitur ex inſtituto ordine, quinque illa, quæ propoſuimus ſigillatim exequuti ſumus. Cauſam in primis, ob quam immerito Galenus legittimā ueramq; curationē neglexit, mox rationes, quæ nos ab illius dogmate recedere coegerunt, poſt has aduerſus nos argumentationes ac reſponſiones recēſuimus, ab iis anathomen, verum ſecandę venę fundamentum percurrimus, quam nobis apprime fauere conſpeximus, aduerſanti uero ſectę maxime refragari: Poſtremo rarionum cōtrariarum diſſolutiones à nobis poſitę ſunt: Iis itaq; expeditis operi finem imponimus, Ad laudem Dei Glorioſi, cui quicquid à me dictum boni eſt, id omne acceptum reffero, qui Trinus in unitate, idemq; unus in Trinitate exiſtit. Cuius miſericordia ſuper nos perpetuo deſcēdat;

CLA-

CLARISSIMI ANTONII MVSAE Braſaolę Ducalis medici, & in Ferrarienſi Gymnaſio medicam facultatem publicè profitentis, diſputatio eiusq; decretũ.

a ANtonius Muſa uir undequaq; doctiſſimus, hoc de ſanguinis miſſione negotium abſoluens, quod ad primam attinet phlebotomiam, quam in pleuritide per initia morbi in altera Saphenarum faciendam eſſe credidimus, primum ita ſenſit: ut in inflammationis principio principiante (ſic exquiſitum illud nominant initium) reuellendum penitus ſit: atq; id à remotis quidem, utpote à Saphenis faciendam eſſe cenſeret, At tempus id à medico raro attingi poſſe inquit ipſe, eaq; de cauſa omiſſam a Galeno fuiſſe illam venæ ſectionem exiſtimat, quę huic tempori aptè conueniret, propterea quòd id vanum, & veluti medico imperceptibile ſit:

Quibus occurrens dico, non poſſe me de eiusmodi tam probè eruditis uiris magnopere non admirari, quonam pacto in hunc adeo apertum errorem inciderint, quum dicunt, medicos huius morbi principio nõ adeſſe, & eo magis quum hoc in cõſtali morbo peculiariter accidere, in aliis non item uelle videntur. Atqui ſi huius tam importunę ęgritudinis initio artifices non adſunt, idem ſanè promptius de reliquarum principiis non ſine artis iniuria dicendum erit: Sic nanq; principiorum omnium morborum doctrina è medicorum monumentis prorſus explodenda foret. Amplius ab iis qui ita ſentiunt, & dicunt, libentiſſime percontarer, quęnam cauſa eſſe poſſit, quòd tam neceſſarium auxilium morbi principio conueniens deficiat. An huius ſecundum naturam principii breuitas, eiusque nimium præceps occaſio; ita ut medicus tam celeriter, ut oporteret, conueniri non poſſit, Aut morbi huius quæpiam potius inſenſibilitas? ob quam facile ægrotans ad incuriam perducatur? Aut medicorum magis inſcitiam, qua plane ratione quidam doctores magni etiam nominis olim dixere, Medicos pulſus ſerrinitatem uix intellectu, ne dum ſenſu percipere. An potius quòd ubi medici

dici rem ipſam animaduertunt, ſtatim medicamentorum illi tem-
pori congruentium opportunitas exoleuerit. Non dicendum pri-
mum, quoniam quæ morbi tempora breuiant, uel eſt loci conditio,
uel materiæ ac uitas, aut paucitas, ſimulq́ malitia. Item ægro-
tantis natura plurimo ſenſu referta, Aetas, uirtutis robur, re-
gio, anni hora, quæ planè omnia plurimam atteſtantur calidi-
tatem: horum uero contraria, temporum diuturnitatem faciunt,
ac morbos producunt, cum autem pleuritidem faciens humor ſub-
tilis, calidusq́ ſit præter hoc, quod minus iſtud neceſſarium eſt,
eam tamen ſubtilitatem, caliditatemq́, loci've dignitatem, alia-
rumq́ conditionum gradum, non adeo aſſequitur, ut ad quartum
decimum diem, inuicem comprehenſis temporibus tam alteratio-
nis quam translationis ratione ut plurimum non perueniat ægro-
tans. Ergo tempora intra huiuſmodi ſpatium quatuordecim die
rum contenta, cum notatu digna eorum extenſione deſignari fa-
cile poterunt, quibus nulla, re uera, maior breuitas asſignari po
teſt, quàm quæ ſtatui conuenit. In quo natura uehementer mo-
uetur, accidentiaq́ pugnam inſequentia tunc fortia ſunt, qua de cau
ſa prolixum id non poteſt eſſe tempus, quoniam fortes ea diu mo-
tiones ſufferre non ualet: neceſſariumq́ omnino eſt, aut eam uin-
cere, aut a morbo tandem ſuperari, quam alioquin breuita-
tem non æque principio & fini aſcribere poſſumus. Id quod
Hippocratis reſpondet dictis, quum inquit, circa principia & fines
omnia imbecilliora, circa ſtatum uero fortiora, id quod de prin-
cipio potisſimum fatendum mihi uidetur. quum tunc, contra
agentis actionem, multa patientis uigeat reſiſtentia, quæ uelo-
citati plurimum reluctatur. Quòd autem uerum ſit, quòd initii
menſura non adeò præceps ſit, & quæ non ita ocisſime dilabatur
ex hoc præcipue agnoſcere ualemus. Multi enim ex Galeni ſe-
cta, è quorum numero Manardus unus fuit præcipuus, non eru-
buit, tempora morbi diuerſarum rationum confundens, princi-
pium Anaxionis ad octauam uſque diem protenſum fuiſſe fate-
ri. Id quod magnam de principii prolixitate fidem nobis præſta-
re poteſt: Si maxime, & id quod Galenus in libro de ſanguinis
misſione dicit, annectamus. Quando inquit materierum cur-
ſum ad oculum eatenus quandoque protendi, ut ad X X. dies
protrahatur. Non ergo pleuritidis principium, minus quàm
quatuor dierum rationabiliter ponendum erit, ſed practican-
tium more loquentes, id eſſe ſpatii ad minus trium dierum di-

camus. Propterea non momentaneum eſt tempus, ita ut non facile à medico haberi poſſit, reliquum uero augumento, & ſtatui tribuendum erit. Neque dicendum id quod ſecundo dicebatur loco, quod ex laborantium incuria id eueniat, quum de membri inflammatione plurimo ſenſu referti, uerba faciamus, item de ea, quæ defluxu fit, & ab humorum diuerſis qualitatibus impreſſorum, & impetu latorum præſentia. Quam ob rem nil mirum ſi à principio dolorem, & non negligendum excitant, eo tamen minorem, qui in aliis ſubſequentibus temporibus ſentitur. Qua ratione medicus principii diuerſam ab aliis temporibus naturam facile prædiſcere poteſt, quo nempè tempore, & repercutere, & reuellere, & dolorem fomentis lenire permiſſum eſt, propter eam quam Galenus xiii. methodi cauſam adduxit. Qui ſanè canones, non punctuale quidem exigunt tempus, ſicut nec uniuerſæ medentium actiones, in puncto atque momento conſiſtunt. Minusq; ars, conſilio rationeq; tradita id præciperet quod incongruo perceptibiliq; tempore fieri poſſit. Stolidum nanque nimis eſſet præceptum, quod non niſi in notabili temporis menſura fieri poſſit, nempe id iubere ut fiat, quod momentaneam uix durationem habeat. Quis niſi perfidioſus, & qui in genus humanum prius conſpirauerit, hoc admittere poterit? Quum maxime in rationibus dixerimus. Partes temporis, partibus localis motus cohærere, atque optima ſibi proportione reſpondere. Naſcuntur nanque tempora ex huiuſmodi locali motu, qui in tanto perficitur tempore. Motus autem oritur ex proportione uirtutis ad mobile, quæ ſufficit, totum mouere, in toto tempore, & in medio medium, itaque in principio modicum erit comparatione ad totum facta, quare principii breuitas, pro cauſa aſſignari non poteſt, ſed nec principium illud principians, quum id tempus non ſit, nec in artibus conſideretur, ab huiuſmodi potiſſimum facultate, quandoquidem medici actionibus propter eius breuitatem ſubſtare non poteſt. Quare hoc a priori per cauſas deſtruximus, quæ breuitatem faciunt, & à poſteriori per actiones illi tempori proprias, item authoritate eiuſdem met ſectæ ultimo ratione, non uulgari, quæ ex regulis VII. phyſicorum eius euidentiam aſſumit.

Medicorum autem inſcitia hanc temporis breuitatem minime adiuuat, utpote quæ nec ſenſu nec intellectu hoc tempus confeſtim percipere poſſit. Quandoquidem & de Hippocrate uiro

penè

penè diuino idem ſentiendum eſſet. Id quod non ſine calumnia dici poſſet. Præſertim quum mihi uiro puſillo, ter, & amplius per Iouem ex ſolo pulſus tactu pleuritidem proxime futuram contigerit prædixiſſe. Cuius rei complures mihi adſunt teſtes, quam ob rem hanc principii breuitatem quæ medicum opportunè adeſſe prohibeat, minime adducere recte poſſumus. Sed condonemus etiam medicum non antea accerſiri poſſe, quàm elapſum fuerit initium, multaq; in loco iam collecta ſit materia, ſed quis quæſo curandi modus, in huiuſmodi inflammationis principio unquam adhiberi poterit? Quando illi principio medicum adeſſe contigerit. Vt in regibus contingit, quibus continuè medici asſiſtunt, & in iis, qui cum medicis, aut eorum aliquo maxima necesſitudine coniuncti ſunt: præterea & in ipſis iiſdem medicis, quũ ipſi eodem corripiuntur morbo, ut nec prætercam id potisſimum accidere, quum alicuius morbi curationi intendentibus medicis, uel illi lateralis ſuperuenit morbus, uel idem in lateralem permutatur, id quod in puerperio uacantibus frequenter uidimus. ea propter ſi Galenus ob asſignatam cauſam, illius principii curationem neglexiſſet, quis non iure eum reprehendendum cenſeret? Eoq; magis, quum id principii tempus præ cæteris digniorem ſibi uendicet locum, quum de legibus .vi. & de Re.p. vii. authore Platone, principium operis, dimidium ſit, quod in problematis quæſtionibus Ariſtoteles frequenter affirmat.
Quòd ſi forte parua uidentur principia, maxima tamen uirtute exiſtunt. Quæ ſi uel minimum euarient, ea quæ ex iis conſtant plurima deinceps mutatione agi neceſſarium eſt. Quod apertisſimo exemplo in commentario de animalium motibus ipſe oſtendit, per nauis proram, nempè ſi in puppi paululum temo moueatur, eam maximas mutationes ſubire inſpicimus, itaque ſi Galenus tantæ dignitatis tempus, atque illius curationem, ob dictam rationem prætermiſiſſet. Malè hercules excuſari poſſet. Quum præſertim medicum adeſſe, uel non, ex iis ſint, quæ per accidens dici poſſunt, quæ nec ſcientiæ, nec artes contemplantur. At quod plus cæteris, contra ſic dicentes nos irritat. Præter hoc quòd tanto authori turpisſimam imponant notam (turpe admodum quum ſit) iter aliquod monſtranti & uiam docenti eius principium (rem ſanè neceſſariam omittere) illud potisſimum eſt, quòd ea ratio nõ minus uerba, quàm Galeni mentem uiolare uidetur. Tantum enim abeſt, ut ipſe principii curationem ſilentio unquam præterire ſit opinatus,

opinatus, ut nec multorum aliorum uiſcerum phlegmonem pati incipientium ut iocinoris, ſplenis & huiuſmodi curationem omiſerit. Enimuero, & idem, incipiente in coſtis inflammatione mõſtrauit, uoluitq́ propter eius morbi acuitatem, eiuſdem patientis lateris confeſtim baſilicam incidi. At eius oppoſitam minime. Cauſamq́ huius, dicit: quoniam ea uel non confert, uel parum, & poſt tempus, nec iſto contentus rationem affert, nimirum propter inflammati loci diſtantiam, quòd ſi ob id oppoſitam renuit baſilicam, quanto magis Saphenæ ſectionem, hac in re, ipſum abhorruiſſe credendum eſt? Quicquid nonnulli dixerint uiri, etiam docti, qui uolunt Galenum ſupponere Saphenæ ſectionem prius factam fuiſſe: Quam ob rem ſi omnibus ſemotis affectionibus, rem perpendere, pluriſq́ ueritatem ſemper colendam, facere uelimus, quàm Galenum, profecto ipſum à calumnia ſaluare non poterimus. Quoniam id quòd agendum rectè eſſet, in ipſo motus fine, id quoque agere uelit in eius initio, extra omnem rationem eſſe uidetur. Item immemor eius apparet, quod de mente Platonis & Ariſtotelis IIII. de curandis morb. prædixerat. Quando inquit, non licere particulare aliquod curare membrum, pleno adhuc exiſtente corpore, puta oculum, toto prius non ſanato. Qua ratione practicantes aliqui uiri, non minus docti, quàm probi, ſcripſere, quòd ſibi occurrentibus mulieribus pleuriticis, cum menſium ſuppreſſione, ſeptima etiam tranſacta die, à Saphenæ ſectione curationem inchoarunt, & eis fœliciter ad modum ceſſit: ſic nanq́ omnia prius amouentur impedimenta, ut mox in ipſum patiens membrum, aut uenam proximiorem tutè agi poſſit, & ſanè hoc agere melius eſt, quàm præcipiti quodam pacto, illam per initia incidere uenam, quæ materiam læſum locum uerſus proritare poſſit.


Hac noſtra audita ſolutione, præclarus hic doctor (ut rationis compos eſt) curationis huius morbi principium rectè à Saphenæ inciſione incohari uoluit, ueluti à totius operis fundamento, propter has, & illas quas antea in libro uiderat rationes, & ita hoc phlobothomiæ genus lubens, uolensq́ admiſit. Hac attamen lege, ut ſi ob eam morbus non ceſſauerit, mox non ad oppoſitam, ſed ad collateralem baſylicam tranſeundum ſit, ego ei Galeni textum pro clypeo ab aduerſariis non aptè ſumptum obieci, uidelicet tertio ar. medici. ac Metho. XIII. pluribusq́ aliis in locis & ab uniuerſa medentium ſchola conceſſum, nimirum quòd ubi morbum facientis

cientis humoris pars iam fluxerit, atq; alia adhuc fluat, neceſſarium omnino ſit tum reuellere, tum euacuare. Verum ubi nos tali incederemus uia, quód eiuſdem lateris venam incideremus, ſic huiuſmodi pręcioſa methodus minime ſeruaretur, niſi quis eam quoque reuellere putauerit. Id quod á nobis non tantum damnatum eſt, ſed demonſtratiuis etiam (ut arbitror) a nulloq; nondum ſolutis rationibus deſtructum.

Huic ita lucido textui aquieſcens doctor reſpondit, quód ubi inflammatæ ſuperiores fuerint coſtæ, resq; ad hoc iam peruenerit, ut humoris aliquid etiamnum fluat, notabilisq; portio iam fluxerit, id quod augmenti tempori aſcribi ſolet, cum ea vtique uena ſanguinis miſſio tentanda eſt, quæ tum reuellat, tum euacuet. Verum quum iſthęc duo in ea quę patientis eſt lateris minime coire poſſint, propter eas quas ſecũda ſumma, & quinta, rationes adduximus, quibus tandem ipſe conſenſit, parte altera, quum Galeni pręceptum nullo ſpernendum ſit modo, ob id neceſſarium omnino eſſe eo tempore ad oppoſiti lateris baſilicam, veluti ad eã quę ſimul vtroq; fungitur munere, nos confugere debere, faſſus eſt, quum potiſſimum ſuperioribus inflammatio coſtis inhęſerit. Verum ubi ad inferiores octo coſtas inflammatio procubuerit, non ſatis ſibi conſtare dixit, quidnam referat in tali mittendi ſanguinis negocio, potius hoc, quám id latus tentare. Inferiores enim coſtæ, tum dextræ, tum ſiniſtræ, non á baſilica, aut ab eius ramis, ſed ab iis, quę a vena ſine pari utrinq; prodeunt, enutriuntur. Quo fit, vt ſi quis ea ſecta baſilica euacuare intendat, nullo id aſſequi poſſit modo, niſi prius ſanguis, qui in germinibus illis continetur, ad venam quæ ſine coiuge eſt, mox ab ea ad cauam traducatur, inde á caua ad baſilicam tranſeat. Quod quum ita ſit, fateri neceſſe eſt, utranq; baſilicam æquali interſtitio inferiores coſtas, tam dextras, quam ſiniſtras reſpicere, quum nulla inter eas maior ſit diſtantia, quám ea, quam cauę venę latitudo efficit. Ea autem tanta eſſe poteſt, quanta eſt exempli gratia, gladii profunditas. Igitur quum æqualis inter has ſit diſtantia, nihil intereſt inferioribus coſtis laborantibus, hanc, an illam ſeces venam, nullo enim ferè diſcrimine, vtraq; baſilica ſeccari poteſt. Itaq; in hac unica re uir hic, alioqui doctiſſimus ambigens, in cęteris vero omnibus mihi conſentiens, pollicitus eſt, ſi per nos hic tolleretur ſcrupulus, in noſtrã ſe protinus manibus pedibusq; ſententiam iturũ: quum nihil amplius penes ſe dubii relictum fuerit, cuius ratione

in noſtras non concedat partes: Ego propoſitum hunc modũ ſol-uerẽ Galeni ſermonem ſecundo de ratio.uic.in ac.ei obtuli, de quo ſectione quarta fuſius diximus: Quo in loco ipſe inquit, omnem baſilicam ſuæ ſubditæ parti relatam, eam ſanè totam cuſtodire, & in ſingulis etiam minimis particulis huiuſmodi integrantibus partem, ęquale obtinere imperium, ut non tantũ ad ſuperiores quàm inferiores coſtas, ſed ad ſibi vicinum contiguumq; membrum, eius quoque regiam, à qua ſuum baſilicę nomen aſſumpſit, extendat ditionem, nimirum dextra ad iecur, unde & iecoraria etiam dicitur, ſicut & leua ad ſplenem, ideo ſplenetica nuncupatur, cuius imperii ea ratio eſt, ut quælibet baſilica ſuæ relata parti, totam illam regionem euacuandi facultatẽ habeat, atque adeo propriè, ut nulla alia reſpectu eius proprior, nec conuenientior à natura, quę in re nulla neceſſaria unquam deficere ſolet, inuenire poſſit: qua in re Auicenna Galenusq; venam hanc ſine pari agnoſcentes, quum in ſectionibus ipſorũ uterq; (ſi quis alius) probè verſatus fuiſſet, dubio procul concordes fuere, licet poſt in ipſis ſecundum tempora exercendis phlobotomiis inter ſe (& extreme quidem) diſſiderint, quicquid uiri quidã docti dixerint, qui perperã & eos in hoc inter ſe conſentire arbitrati ſunt, quũ planè tota diſcordent diametro.

Ergo quum ratum firmumq; ſit, horũ illuſtrium ſublata diſcordia, quòd quælibet baſilica ſubditam ſibi partem propriiſſime euacuat, Quid ſecundũ eos prohibet, inferiores coſtas à ramis uenæ Azigon & à baſilicis non minus ſibi correſpondentibus etiam euacuari? quum diductis eis, per ramos venę Azigon inflãmationis materia, in cauam neceſſario traducatur, à qua deinde baſilicæ immediate trahunt? Verum quum deinceps inſtatur, ſi Azigon rami ad cauam inflammationis materiam apportant, Igitur ad id ſpatii ſaltem humorem conducunt, quod tam dextram, quàm leuam æqualiter perſpicit partem, ergo idẽ erit tã per hanc, quàm per illam ſanguinem mittere. Dicimus hunc illum eſſe lapſum, in quo recentiores nimium caput extullere: Materialem prorſus metientes diſtantiam, formalem omnino prætereuntes, non ſecus ac ſi mathematici, non phyſiologici, minusq; medici exiſterent. Hic longum non conteram tempus, quum ſumma quinta de hoc fuſius dixerim: Præterea ii (ſi probè inſpicimus) medium tranſitus pro motus ipſius termino accipiunt, id quòd non parum intereſt, Ab ipſo enim termino, non autem ab ipſo medio unusquiſque ſpecificatur motus, quæ res (ut clarior fiat) in figura, quæ thoracis



racis utrunque deſignet latus , ipſam deducamus. Sit itaq; coſtarum ſuperiorum locus, Simulq; ambarum baſilicarum A & B, inferiorum vero locus ab Azigon enutritarum C D, locus vero medius ad quem in cauam per ramos venæ illius ſanguis ducitur ſit E, igitur ſi C, locus inferiorum coſtarum dextrarum quæ à ramis dictis enutriuntur inflammetur, tam & ſi vtrauis ſecta baſilica per ramos Azigon ad E, ſanguis ducatur, non ob id ſequens erit, eundem eſſe motum, aut æqualem, tantiq; eſſe ſi per E, ad B, ducatur, ſic per E, ad ipſum A, quum nequaquam motus in E, finiatur, ſed aut in A, aut in B, quæ inuicem contraria ſunt, terminentur. Proinde contrarii omnino ſunt motus. Sanè ita ſentientes fortàsſis aliquid dixiſſent, ſi motus ad E, terminaretur, ſed quũ per vnam baſilicam ad A, & per aliam ad B, quæ ſunt cõtraria ducatur ſanguis, non æque igitur erit per vnam ducere, ac per aliam, exiſtente enim inflammatione in C, ſi in dextra baſilica ſanguinis miſſio efficitur, ducetur per E, ad A, quòd ſi in leua id fiat, ducetur per E, ad B, quæ ut patet contraria ſunt, quemadmodum dextrũ & ſiniſtrũ re vera contraria exiſtunt. Ergo abſurdũ, & à ratione remotũ eſt, dicere, quod ęquale ſit per E, ducere ad A, ſicut ad B, nã licet diſtantia materialis ab E medio tanta ſit, nõ utiq; tamen tanta eſt formalis, quãuis enim per digitos menſurata tanta ſit arithmetice, geometrice non tanta erit, quum noſtro fini, longe magis in morbi principio, per digitum ducere ad contrarium conducat, quàm per ulnam ad conueniens trahere latus.

Vide quàm grãdi fallatia ij decepti fuerint uiri, quam orbi communicarũt nullusq; ãte nos ſaluare potuit:

Quum partes conuenientes vnius ſint formę, & ſic vnius rationis, & quod uni parti attrahendo nocet, omnibus illius rationis partibus noceret, ubi contra in latere oppoſito qualitas diſtantiæ minor, in diuerſa trahendo iuuare plurimum poſſet. Verum ad manifeſtiorem rei doctrinam, exemplum nunc ſubiiciamu, quod quanquam medicam facultatem tranſcendit, nihiloſecius, non mediocrem ad ea quę dicuntur fidem facit. Ariſtoteles in commentario de ſenſu & ſenſili, in calce, quęrit. An duo contraria ſimul ſentire ac ſimul intelligere poſſimus, veluti ſimul album atque nigrum, negat autem, quoniam ſenſationes contrariæ ſunt, quod autem huic repugnare uidetur, hoc potiſſimum eſt, quoniam contrariorum ſpecies, contrarię minime ſunt. Ideo in eodem medii puncto, vel animato, vel non, ſimul vtique eſſe poſſunt. Igitur quoniam non ſunt contrarię, nihil vetat quin ſimul ſentiri poſſint. At huius ſolutio recta eſt, quòd re uera nec ſentire ſimul, net intelligere

telligere contraria poſſumus. At non ea ſi quidem de cauſa, quia ſpe cies contrariorum ſint contrarię, quę in medio aut in ſenſiterio exiſtunt, ſed quia ſenſatio puta uiſio non ad ſpecies, ſed ad obiecta terminatur, quę uere ſunt contraria.

Itaq; ſi ſpeties quę in medio exiſtunt, non ſunt contrarię, ad contraria tamen ducũt, ideo ſimul ſentiri non poſſunt. Res.n. ipſę nõ ſecũdũ eſſe quod in medio habent, ſiue reale, ſiue ſpirituale cõſiderãdæ ſunt, ſed ſecundũ illud, ꝙ in ꝓpriis habent terminis, ac finibus. Ita n propoſito, licet humori ut ad E, ipſum ducitur, idem ſit, quod per baſilicam ducatur dextram, ac per leuam, quum nulla in eo ſit contrarietas, qui tamen terminatiue (ut ita dicam) non ſic eſt, quum una ducat ad A, alia uero ad B, quę ſunt contraria, ideo non tantum erit per unam ducere, ſicut per aliam. Alioquin A, & B, quæ ſunt oppoſita idem eſſent. Quis autem tam ſensus inops eſt, qui hoc concedere debeat. Verũ iſthæc, mathematicé duntaxat metientibus, facile contingunt. His autem lectis prudentiſſimus hic doctor, palam nos iuſtas poſſidere partes confeſſus eſt. Atque iis nobis ſubſcripſit uerbis,

Eiusdem Excellentiſſimi Anto. Muſ. Braſao. Sententia.

Iſis hinc inde rationibus concludimus. Eas quas excellentiſſimus doc. Ludouicus Panizza in materia de ſectione uenę adduxit, accedere ad demonſtrationis culmen prout haberi poteſt demonſtratio in medica hac facultate.

Excellentiſſimi

EXCELLENTISSIMI ET PRAESTANTISſIMI HIERONYMI GABLONETÆ PHILOSOPHI, AC ILLUSTRIſſIMI FRANCIſCI SECUNDI MANTUÆ DUCIS MEDICI GRAUISſIMI DECRETUM.

Liber tuus Ludouice doctisſime, & lectus eſt & legitur à me diligenter de misſione ſanguinis facienda in eo diſputas, & quæ pleuritidi curandæ conueniat accurate diſſeris. Res uulla eſt hodie de qua tantopere non ſolum docti, atque eruditi homines, ſed etiam ſemidocti inter ſe digladientur, atque diſſentiant. Tu uero & uerborum, ſententententiarumq́ grauitate, continentibus tuis ſcriptis rem ita complecteris, ut nemo hercle (quiſquam ſit) cuius ſtudium in legendo non erectum retineatur. Ca ue putes me aſſentatiuncula quadam tuam uelle gratiam aucupari. Ego nanque illos magis qui te non admirentur inuidos, quàm eos qui laudent aſſentatores arbitror. Ac ne aliquando mireris, quum alicui forte uidear te diutius de mea uoluntate tenuiſſe ſuſpẽſum, ſcias, nihil mihi tu uelim fuiſſe lõgius, quàm ut ad te, iis quæ tibi uiro doctisſimo probantur, ſanctisſima inſtituta, in pleuritide curanda ſcriberem, ſed illud mihi contingere poſſe uerebar, Quod uitare maxime cupiebam, ne ſi quod facere aliquando ſolent præcones ludorum Gimnicorum, primus ex iis quos in cauſa iudices Selegiſti, tibi iure meritoq́ coronam impoſuerim Victori, nomenq́ tuum magna uoce pronunciauerim, ipſe quoque corona donari aliumq́ præconem adhiberi deſiderare uiſus fuerim. Qui me de libro tuo bene pronunciaſſe laudet, hoc autem uitare me poſſe ſumma tua authoritas fecit. Meumq́ perpetuum de tua ſingulari uirtute iudicium, ut magni mea intereſſe putarem, non ignorari à te, inſtituta tua in curanda pleuritide me facile probaturum, neque quis mihi iure ſuccenſere poterit, ſi quod inter nos amice, & beneuole ſemel ac ſæpius non litigioſe, & ad rixam conciti, omni ſtudio diſſeruimus. Illud idem præterea ſcriptis noſtris non mandauerim, & quæ in dolore lateris curando tibi tam probare uidebam, primum omnium refellere non ſim conatus. Hoc certe nihil inutilius exiſtimaui, quum ad ueritatem cœpi reuocare rationes. Magna ſanè eſt uis ueritatis, quæ contra hominum

 ingenia,

ingenia, caliditatem & ſolertiam facile ſe per ſeipſam defendit. Qui nanque contentionis cupidiores, quàm ueritatis exiſtunt, hi non ſecus ac ſi eſſent elephantes. Sentiunt, qui non prius bibere dicuntur, quàm ſubiectus conturbauerint aquas, ſuas nanque quum pauerint imagines, quæ a ſtantibus & quieſcentibus redduntur aquis, conturbant illas, & commouent, ne ſe inſpiciant, illi ipſi quoque ueritate filia temporis in doctisſimorum hominum monumentis, aliquando inſpecta, quum ſe hebetes tardos, ac pingues, æque atque pecus inſpiciant, in eorum ſcriptis conturbandis uerſantur. In conuiuiis rodunt, in circulis uellicant, ubiq; carpunt, & ut eſt iam tritum ſermone prouerbium, eiuſmodi homines ueluti muſcæ mel atticum non attingunt: ſpero tamen fore, ut qui contra communem opinionem nimium pertinaciter pugnant, aliquando reſipiſcant. Atque uel ipſo authore Galeno aliquando ad ſe redeant, ſe ipſos tandem colligant, unus enim Galeni liber cui titulus eſt ars medici. in opere tuo laudando graue nobis teſtimonium eſt, impartitus: Qui poſtquam locum inflammatione affectum ſoluere docuerat, ſubiunxit, uniuerſo autem corpore plusquam conueniat repleto ab affecta parte ſtatim minime ſoluendum eſſe, ſed ab ipſo uniuerſo corpore primum tentandam ſolutionem. Id quod Aegroti commodo non ſemper fieri poteſt. Vt itaque diuertatur humor ad contraria loca, primum & maxime præcipit, quo perfecto opere ad affectam partem unde medicum uocauerat iam reuocat, omnium autem corporum naturalium, & quæ animalium collocantur in genere, quum ſex prima exiſtant interualla. Id quod in libris de animalium progreſſu ab Ariſtotele clare eſt demonſtratum. Iugum illud quod eſt ſurſum & deorſum, cæteris diſterminari. Magis in illis commentariis, quos in libros de Cœlo confecit Auerrois accuratisſime oſtendit, quibus ex cauſis inter alias, quòd in curanda pleuritide corporis repleti, primum ex talo ſanguinem mittere in libro tuo inſtitueris. Ad hæc, fluctuantem adhuc humorem, & ad inflammatam partem iterum paratum uenire, frangi oportere, mente ac ratione contemplatus 'è regione contraria ſanguinem mittere deſtinaueris, mox ad affectum locum (ut enarraſti) te reuocaueris. Sapienter & conſideratè (me iudice) feciſti: Quam ob rem, & ſi ſalutis cauſa, tibi Ludouico doctisſimo, & ſanctisſimo

SENTENTIA.

ctiſſimo medico maxime gaudere debeam, tamen ita te ui‑ctorem complector, ut magnam partem mihi letitiæ tua con‑ſequuta dignitas afferat. Quam & eſſe iam magnam, & futu‑ram amplisſimam ſcio. Vale.

EXCELLENTISSIMI ET CLARIS‑ſimi Brandæporri in Ticinenſi Gymnaſio philoſophiam publice profiten‑tis Decretum.

P Ræclarus ſimulq́ꝫ doctisſimus hic doct. Si huius rei commentarium aliquod deſtinatum, ab eo petiiſſe‑mus, illud equidem facturus fuiſſet. Sponte nanqꝫ hoc ipſe nobis obtulerat. Id quod ne tantum ei im‑poneremus labore, renuimus, contenti duntaxat, ut eius ſinceram, candidamq́ꝫ mentem (ut probatisſimæ ſanctisſimæq́ꝫ uitæ eſt) ſupra ueritatem adduceret. Quam obrem ut præſens hoc negotium abſolueret. His uerbis nobis mentem ſuam declarauit. Se in primis inquiens, non tantum noſtrum commentarium, ſed quorumcunque omnium, qui hac in re ſcripſere accurratisſime le‑giſſe, ſed ſanè qui ita lucide ueritati reſponderet, uidiſſe neminem, quinimmo, ipſo iudice tantum ueritatis tenorem nos aſſequutos fuiſſe aſſeruit. Quòd qui poſt hac opinionem hanc noſtram inſimu‑lare fuerit auſus, eamq́ꝫ perfidioſe potius, quàm ſcite, negare con‑tenderit, ei unum deniqꝫ relictum ſit durum opus, ut totam fundi‑tus hanc ſanctisſimam artem eruere, ſapientisſimaq́ꝫ eius theorema‑ta, in ueterum monumentis reperta, omnino deſtruere, atque obli‑terare cogatur ualidumqꝫ oppoſitæ ſectæ Gallenicæ teſtimonium adduxit. Quòd eius aſeclae qui maxime primas obtinent partes è quorum numero Manardus fuerat, ſe retractare tandem coa‑ctus fuerit (ut eius conſtat in epiſtolis) quam ob rem hanc à nobis ſecutam opinionem (ueluti religioſe colendam obſeruan‑damq́ꝫ innuit.) Suumq́ꝫ his uerbis decretum ſigillauit. Videli‑cet.

SENTENTIA.

u Iſis diligenter his, quæcunque excellentisſimus Ludouicus Panizza, in materia de uenæ ſectione ſcripſit. Potisſimum in laterali morbo, iudicaui eius rationes de plano procedere, & in aduerſarios concludere, & illorum obiecta ipſum optime diluere.

EXCELLENTISSIMI HIERONYMI Vrbini medicam facultatem in Patauino Ill. Gymnaſio publicè profitentis dubitationes eiusq; decretum.

q Voniam in ſermone quem de ſanguinis misſione ſcripſimus. In inflammationis cuiuſcunque initio quam. M. uocauimus, per contrariam, diſtantisſimamq; poſitionis differentiam, reuellendum eſſe, ſtatuimus, iuxta huius artis methodos, contra hoc inſtitutum compluribus argumentis hic doctor, dum cum uiuis uerſaretur enixe inſtitit, & ſe tandem ad quædam potisſima collegit. Ex quibus eius mentem ſigillari uoluit uerum quia ex illis rationibus nonnullæ triuiales, paruiq; ponderis extitere, ex libroq; noſtro penitus deſtructæ remanent, ea propter ad duo ipſius dicta me tantum colligo.

Dubitat autem doctor hic ex Auicennæ uerbis, tertii decima, cap. de ſanguinis ſputo dicentis. quòd humor qui circa pulmonis particulam collectus eſt, ſiue iam proximus ut colligatur, ad contrarium, retractione amoueri debet, huius autem retractionis ad contrarium munus inquit arabum princeps per eiuſdem lateris uenam inquirendum eſſe. Quam ob rem Auicennam aſſerit cum Galeno ſentire, quod eiuſdem lateris uena reuulſionis munere fungi posſit. Id quod nos tamen tanto ſtudio deſtruem tentauimus. Verum licet hoc nobis parũ aduerſetur. Vt tamen huic etiam uiro faciamus ſatis: Quod nobis pro ueritate occurrit, dicemus, illud uero imprimis annotabimus. Auicennam hic nullam facere differentiam, ſiue humor in inflammationis loco collectus fuerit, ſiue in proximis, ut colligatur, quum in uicinis uenis exiſtat, ad hoc ut eiuſdem

lateris uena ſecari debeat. Quum igitur ipſe per initia morbi phlo botomiam collateralem omnino reliquerit, id non alia de cauſa eſſe potuit, niſi quòd humorem, inter initia, in inflammationis loco collectum eſſe, non autem in uicinis partibus proxime ut colligeretur, contineri crediderit. In eam ſaltem quantitatem, quæ medici mentem mouere ad eius uacuationem poſſit. Ad rem nunc dico, quòd ea Auicennæ uerba, non ſecundum illam quam nobis tradidit Bellunenſis (alioquin in eo idiomate eruditiſſimus) translationem, ſed ſecundum ueterem potius legenda ſunt. Falſa nanque dubio procul iſthæc litera eſt, quinimmo, & exemplar illud, quod Dauid Portaleonus hebræus ad me detulit, à quo nempe, uel à conſimili ille translator occaſionem ſumpſit, non minus corruptum eſt, ut in Ariſtotelis commentariis frequenter accidiſſe nouimus. In quibus tam Græca, quam Latina corrupta litera conſpiciebatur, dicit nanque antiquior hic codex, qui planè meliorem habuit originem, quòd collateralis phlobotomia, ſanguinem ad uacuum uehit, non autem dicit, ad contrarium trahit, ueluti huiuſmodi noua perperam legit, prius enim ſermo, & rationi, & conſueto loquendi modo Auicennæ reſpondet, poſtremus uero his non modicum repugnat: Rationi inquam primum obuiat, quia illud quod in ea regione, eſt latus, contrarium non eſt, quum Hippocrates contraria, ad differentias poſitionis contrarias eſſe ſtatuerit. Quum in eadem quidem regione, nulla prorſus ſecundum poſitionis differentias contrarietas reperiri poſſit.

Ab Auicennæ deinde conſuetudine diſſonat, quoniam id latus & morbo, & phlobotomiæ reſpondens, conueniens appellare ſolet, ei uero oppoſitum, contrarium.

Nec quod doctor aduerſus nos ſubiungit aliquid eſt, uidelicet Auicennam ſuis anexiſſe uerbis, quòd talis ſanguinis miſſio, in eadem parte facta, inflammationem in uulnere prohibet, ex quo infert huiuſmodi collateralem uenam ad contrarium ducere, atque diuertere, ac ſi prohibere ipſum, & diuertere, omnino idem ſint, & quòd inflammatio non niſi reuulſione prorſus prohibere poſſit.

Dicimus nanque quod collecta iã circa locũ materia, inflammationem factura, non reuulſione remouetur, ſed loci etiã uacuatione congruo tempore facta, nam ſicuti reuulſio quũ illius adeſt oportunitas inflãmationẽ fieri prohibet, ſimiliter & id agit euacuatio, nimirum id tollẽdo, quod factũ iã eſt, igitur quantũ doctoris diſcurſus deficiat, facile eſt uidere, prohiberi quum poſſit apoſtema, cum ſanguinis miſſione

nulla alioqui interueniente reuulſione: Sed mera loci uacuatione, ſic enim per talem conuenientem baſilicam abſumitur ſanguis, ſiue in loco, ſiue circa locum is extiterit, quum (ut diximus) parum ſecundum Auicennam id referat. In principio nanque motus humorum illos in contrarium trahentes, inflammationem fieri prohibemus, perfecto uero motu ſanguineq́ꝫ, aut in loco, aut in uicinis partibus, iam collecto, eiuſdem lateris uenam ſecantes, ne ea perficiatur, etiam optime prouidemus: Sublato nanque qui eam fouet humore, ipſa quoque tollitur, ac prohibetur. Igitur eiuſdem lateris uenæ ſectio, ad contrarium non trahit: Sed ad uacuum (ut antiqua dicit littera.) Duæ nanque ſorores illæ baſilicæ conueniunt, ac differunt, conueniunt inquam, quoniam ambæ ui uacui trahunt: Sed earum altera ad uacuum cum auerſione ad contrarium ducit. Et ita reuellendo inflammationem tollit, & ea eſt quæ è regione laborantis eſt partis. Altera uero quæ in ſitu cum morbo conuenit, ipſa quoque ad uacuum ducit. Sed ſine contrarietate prorſus id operatur, ideo ad uacuum trahere, non ad contrarium dicitur, quoniam ibi uacuum eſt, ſed non contrarium, earum ergo altera prohibet ne quid fiat, altera uero factum, uel quaſi factum ipſius abſorbendo materiam remouet: Iccirco Auicenna eo loci duabus iam præmiſſis phlobotomiis in fronte illius capitis, ad tertiam & ultimam pertranſit. Operepretium autem me facturum arbitror, ſi illius uerba adſcripſero quæ in huuc ſe habent modum.
„ Et rectius eſt ut inclinetur eorum ſanguis, ad
„ partem inferiorem cum Saphenæ phlobotomia, & poſt ipſam cum
„ phlobotomia baſilicæ.
i. oppoſitæ ea propter quam ultimo adducit baſilicam, non ea eſt amplius de qua paulo ſuperius dixerat: Sed alterius nimirum eſt rationis, experimento enim iam nouerat princeps, ex diuturno, prolixoq́ꝫ nimium excreatu ac tenui uictu adhibito, crebrisq́ꝫ uacuationibus, uirtutem imbecillem facile reddi poſſe, ita ut eum forte ſanguinem, qui circa uulnus collectus foret, male expellere poſſet. Qui ſanè non eductus, ſed in eo loco retentus illum haud difficulter inflammare poſſet. Quare ad id malum tollendum, ſubdit author.
„ Succurratur ad phlobotomandum
„ baſilicam partis in qua exiſtimatur ſolutio ſingularis ſubtilem fa-
„ ciendo phlobotomiam, & accipiatur ſanguis, interpolationibus,
„ inter quas ſint horæ tres, quas ipſæ ſint cum conſeruatione uirtu-
„ tis.
Non temere dicit baſilicam, partis in qua exiſtimatur ſolutio &c. ut eam excludat baſilicã, de qua paulo ſuperius prædixerat,

ergo

ergo hic adhuc de baſilicæ phlobotomia loquens, de ea quæ eiuſdem eſt lateris intelligebat, quum de oppoſita ſermonem iam expediſſet. His æque quæ de pleuritide fieri uoluit. Quam ob rem Auicennæ ſermo, nedum nobis non aduerſatur, ut etiam plurimum faueat: quod ſi ſecus ipſe intelligere uoluiſſet, & textus ille intelligendus eſſet, ut dicit Bellunenſis. Ego medius fidius cum Auicenna in hoc non conuenirem, reliquum modo eſt, ut ad alterum huius uiri principale obiectum deueniamus. Ad quod ſeipſum denique totum collegit, quod huiuſmodi eſt, nempe quod ſi re uera in apoſtemate .M. à nobis uocato, ab initio morbi, materia, uel in loco, uel ei uicinis partibus modica, fuerit, utique eiuſdem lateris uena ſecanda non eſt, tanquam non modo ad ſalutem non opportuna, ſed ad modũ pernitioſa. Verum contraria & diſtantisſima, ut pote, quæ præſeruatiua ſit, omni ſtudio tunc perquirenda eſt: Addens, quod ubi Galenus per initia morbi modicum ibi humoris eſſe opinatus fuiſſet, non ſecus ac nos ipſe quoque feciſſet: Id quod eſt, eam quam ab eo deſiderabamus, ex ſuis met uerbis, extorquere ſententiam. Nihil enim aliud ab eo exoptabam, niſi ut eo teſte, & authore, in inflammationum .M. principio, proximam & conuenientem remouerem phlobotomiam, & eius uice contrariam, & remotisſimam introducerem: eſſe autem materiæ modicum in huiuſmodi principio, tum in loco, tum in uicinis, infra exactisſime oſtendemus, & à priori, & a poſteriori, atque per illuſtrium authoritatem probabimus. Ne autem id ſæpius reiteretur. Ad excellentisſimus Vicen. Madii, eodem loquentis ore dicta, differimus. Quare dubio procul, nos interea eiuſdem (implicita ſaltem) gaudebimus ſententia, quum præſertim, eo tempore, quo iudicium ſuper hac re laturus erat, proh dolor, morte fuerit præuentus, quæ non paruam mihi ſanè doloris cauſam præbet. Præſertim, quum parum antea, per literas magnifici Scipionis Buciacherini, quæ unicuique oſtendi poſſunt, cum eius magna lætitia, Clar. hic doc. me certum reddi ſedulo curauerit, factam tunc temporis fuiſſe humani corporis ſectionem in florentisſimo Patauino Gymnaſio, per doctisſimum Vveſalium, & noſtram à compluribus illuſtribus uiris ingentibus laudibus approbatam fuiſſe opinionem: Et iure quidem mihi ab eo gaudendum fuerat, quum in huiuſmodi medendi generis uia, natus, & ad extremum eiusque ſenium enutritus perueniſſet: eius itaque manes, Dii, Deæque omnes, perpetua fœlicitate piisſime amplexentur.

Sententia domini Hiero. Vrbini.

Excellentisſimi

EXCELLENTISSIMI LVDOVICI BVchaferræ in Clariſſimo Bononienſi Gymnaſio philoſophiam publice profitentis, dubitationes ac decretum.

LVdouicus Buchaferra in grauiſſimo philoſophorum cœtu, ſanè cōſpicuus, quum noſtra hæc tempeſtate facile primas obtinuerit partes licet ſerius quàm meus exoptaſſet animus, celerius tamen quàm illius uires, ex aduerſa ualetudine imbecilles factæ, permiſerint, multo prius exacto tempore, noſtris tandem rationibus, in materia de uenæ ſectione reſpondit. Verum ei prius nonnullas contra noſtram poſitionem difficultates exercitare libuit. Quæ planè quum ex fœcunda ipſius doctrina prodierint, nihil mirum ſi ueluti prægnantes earum quàm plures difficiles nodos in ſe concipiant. Sic ut Geminæ illum certe parentem referant. Hæ autem ſunt primum de qualitate conſtitutionis apoſtematis. Item de eiusdem curatione. An. ſ. cum pluribus, an cum paucioribus phlobotomiis curatio omnino tentanda ſit. Et an cum iis prius, quæ remotæ, & in contraria poſitionis parte ſunt. An cum ea potius ſola, quæ cum morbo communicat, & ei proxima eſt utpote quæ celerius, expeditusq; morbi cauſam tollat amplius, an in eadem met poſitionis differētia reuulſio fieri poſſit. Rurſus an tum in reuulſione, tum in deriuatione fibrarum conſenſus, atque rectitudo perpetuo ſeruanda ſit. Quam ob rem pro noſtri tutela, ſanctæq; ueritatis defenſione aliqua in primis de iis pauca præmittenda eſſe duxi. Mox quantum ipſius rationes cum ab eadem ueritate, tum à noſtris rationibus deficiant, luce clarius oſtendemus. Verum quoniam complures doctiſſimi uiri, ex iis qui Galenum Aemulantur, quiq; maxime ad nos ſcripſere, dixerunt, quòd huic potiſſimum confert negotio apoſtematis generationem ante omnia nouiſſe, id quod etiam Clar. hic doctor non modicum probare uidetur: Hac ſiquidem moti ratione, quòd ex generationis modo, curationis quoque recta infallibiliſq; uia eſſentialiter prorſus dependeat, qua quidem in re, ego quoque eis plurimum conſentio, ea propter ad hoc inſtituto ſermonem hunc noſtrum auſpicari operepræṫium eſſe exiſtimaui. Sed quoniam (ut quarta diximus ſumma capite ſecundo) nemo eſt qui dubitet apoſtema ipſum generis naturam referre, & in genere æquiuocationes latere non incertum ſit. Iccirco ab eius diffinitione inchoādum eſt (uniuocum quum ſit) demum illud per eius eſſentiales

tiales differentias & primas diuidendum, nam ita proprias ipſius ſpecies colligemus. Mox illarum proprietates nobis uenari facillimum fuerit, ne nobis id quod Galeno contigit eueniat: Qui rem hanc ubiq; locorum modica nimium ſeruata peritia diminutam & (ni fallor) nimis confuſam nobis commonſtrauit, cuius cauſa, tot ſanè poſterioribus inſurrexere difficultates. Vnum generationis modum in alio confundentes, & quum (ut probè) adductum eſt, curationis modus eſſentialiter à generandi modo (ut uidebimus) dependeat. Non igitur diſtincte cognita per Galenum apoſtematis generatione, nihil mirum eſt, ſi eſt huiuſcemodi morbi curatio confuſa, & imperfecta inſurgat, ita ut quod uni tribuendum eſſet. Speciei, alteri tribuatur. Proinde ſæpenumero doctorum uerba inter ſe pugnantia reperiuntur. Quinimmo Galenum ipſum ſecum pugnantem inſpicimus. Quam ob rem de apoſtemate locuturi, ab illius primum diffinitione ueluti à baſi inchoabimus. Verum quia de hoc alibi fuſius dicere nobis neceſſum fuit. Nunc rem duntaxat compendioſe percurremus. Ipſum ſic iuxta recentiorum conſuetudinem diffinientes. Apoſtema diſpoſitio quædam eſt, in animato membro ex plenitudine contingens per quã natura triplex euariatur, unde quæ ſecundum naturam per ius fuerat operatio ſenſibiliter læditur: deinde ipſum ſic per primas diſterminare poſſumus differentias, uidelicet quoddã non uero fieri motu dicentes, ſed generationis uia tantum conſtitui, hanc ſanè ſpeciem xiii. methodi Galenus ortum habere à particula nuncupauit. Eam uero neoterici, paulatina congeſtione facta dixerunt: quas non pro breuitate ipſum. G. nominauimus. Aliam uero ſpeciem, quòd non in membro eius materia generetur, ſed quòd ab aliis mittatur membris, ueraq; locali motione conficiatur, fluxione factam Galenus appellauit, cui & noſtri concordant, eam dicentes per uiam defluxus fieri. Quum quidem nos ea de cauſa. M. libito noſtro appellauimus. Neque quiſpiam admiretur, ſi nos iſthæc adducimus quandoquidem noſtrum nequaquam propoſitum effugiunt, propterea quòd eiuſmodi res alio modo nos morbi tempora metiri, atque alias & alias medendi normas nobis perſuadeat, quum nanq; apoſtema primo modo factum fuerit, omni ſcilicet excluſo locali motu. Medicus in morbi materia alterationes motum tantum conſiderabit: Et quum tempus re uera nil aliud ſit, quàm ipſius motus menſura, penes itaque huiuſmodi morbi motum alterationis, partes & tempora in eo partietur. At in eo qui uero motu translatio-

nis

nis fit,quum eius materia ab aliis transfundatur partibus,tempo- ris quoque partes huius motus partibus accommodauit. Qui ſa- nè localis motus(quum in momento fieri non poſſit)nec cum om nibus ſuis partibus ſimul, ut in illuminatione efficitur, neceſſarium omnino erit,ut mobile alio pacto in fine ſeſe habeat, ita ut uaria etiam ſingulis iis temporibus applicari auxilia neceſſarium ſit. Has autem apoſtematis ſpecies, paſsiones etiam propriæ conco- mitantur, quæ potisſimum duæ uidentur, dolor primum, & pro- prius curationis modus, quæ ſanè affectiones quum ab harum eſ- ſentiis defluant, inter ſe ita diuerſæ ſunt, ut & ſpecies ipſæ inter ſe diſcrepant, nempè quòd dolor in G.non appareat, niſi quouſq; tota,uel ferè tota materia in inflammationis ſede collecta fuerit, adeo ut ſui multitudine membri continuitatem ſoluat.Id quòd fe- rè non niſi in fine collectionis accidere uidemus. Quòd ſi ante id fortaſſe aliqua triſtis ſenſatio apparuerit obſcura hercle repræſen tatur,id quod rationi plurimum reſpondet: Quum ex nutrimento fiat, quod uel quaſi in ſe quoquomodo uitiatum fuerit, uel à mem- bri temperatura neſcio quo pacto uariata,non probè ſit diſpoſitum, in qua quidem re materia huius apoſtematis G.uocati,ab ea differt quæ ipſum M.facit, propterea quòd & ab alienis membris & aliis caracteribus impreſſa nec pro alimento inflammatione mēbri, prę- diſpoſita fuerat, igitur delegatus ſanguis in G. pro eius alimento, nec probè confectus in illius ſubſtantiam non conuertitur,quam ob rem deſpectus paulatim ibidem creſcit,& ne mox corporum pene- tratio contingat, quam non minus natura abhorret,ac uacuum in tumorem attollitur, inde fit, ut quum iam multa ſit materia & mē brum iam diſtendat. Tunc (licet ſero) dolor inſurgat, idq; du- plici ratione non repente ſit,tum quòd ea membro non ſit ualde con traria (alimentum enim illius eſt)tum quòd nullo impetu, nec con fertim, ſed ſenſim potius, ac naturali fermè inceſſu ad membrum feratur, iccirco nil mirum, ſi dolori parua ac tarda præſtetur occa- ſio. Non minus præterea quod ad curationem attinet. Apoſte- ma hoc propriam ſemitam ac peculiarem curādi modum expoſtu- lat, quum nanque inchoante dolore totus fermè inflammationem faciens humor in affecto membro, uniuerſus uero in proximis ei ue- nis collectus ſit, in principio ſanè repercutiendum non eſt, quando quidem, ne membrum corrumperetur, non mediocre eſſet pericu lum. Repercusſio nanque ad uacuum, uel ad rarum fit. Minime ad plenum, aut ad denſum, quoniam plenum alienum non admittit,

ut dicit

ut dicit Galenus tertio Ar.med. Ea propter non ſatis laudata eſt antiqua illa militaris diſciplina, quæ ſecundas acies raras inſtruebat, quo ſi primæ repulſæ forent, intra reliquias tuto recipi poſſent, præterea quum in huiuſmodi inflammationis ſpecie, quam .G. uocauimus, materiæ in inflammato membro generentur nulloq; localis motu interuentu, membrum occupent. Nulla utiq; uel ſimplex, uel mixta reuulſio ei per ſe debetur, nam reuulſionis actus non niſi localiter motis debetur, quum potisſimum reuellere nil aliud ſit, quàm humores ad aliquod membrum currentes per ei oppoſita loca retrahere: Ea propter famoſus ille medicorum ſermo, ita uniuerſaliter, prolatus nempe quòd in inflammationis principio reuellendum ſit, falſus eſt: Nam in hoc inflammationis genere, quod localis motus interuentu non fit, ueritatem non habet per ſe, quum uero Galenus ipſum primum admiſerit, neque illum mox obſeruauerit, nihil mirum ſi contradictionis ſuimet ab Auerroe fuerit accuſatus: quam ob rem ut hanc euitaret notam, in deteriorem incidit lapſum, coactus enim fuit fateri, in eadem poſitionis differentia ſimul reuelli, atque euacuari poſſe, id quod in fine abſurditatis eſt, quum hoc naturæ inſtitutis manifeſte repugnet: Ex iis igitur propriæ apparent ipſius .G. affectiones ſcilicet dolor, qui uſque adeo ſubobſcurus eſt, quouſque tota in illius ſe de eiq; uicinis partibus collecta fuerit materia, plurimam faciens membri diſtenſionem, præterea, & proprius illi curandi modus, qui nec repercusſione, nec reuulſione, ſed mera eiuſdem loci maturatione & uacuatione indiget quum ibi euacuetur materia: Quæ nimirum ab eo petenda eſt loco, in quo eſt, &c. Verum in alia apoſtematis ſpecie, quam .M. nuncupauimus, eaſdem affectiones nequaquam credendum eſt. Nam nec eodem efficitur, modo, nec illi conformem generationem habet, quum nec ex nutrimento, nec naturali ferè inceſſu, ac ſenſim fiat, ſed ex ſuperabundantibus in uniuerſo corpore humoribus, qui uel quantitate peccantes, naturam grauando irritant: aut qualitate potius, noxia mala pungentes mordicantesq; eam ſtimulant, aut utroque ſanè modo, quum & natura & arti commune ſit, ob dictas cauſas aliquid è corpore expellere (ut quarta primi inquit Auicenna) quæ nimirum natura propter has exagitata cauſas, id quandoque agit, quod ipſe tertii libri decima cap. de ſanguinis ſputo refert, nempe quod aliquando à noxio humore uexata ad ani hemoroidas expellit, ut ſe alleuiet, quas ſi forte contumaces inuenerit, ad aliud conuertit extremum,

mum, puta ad narium uenas, quæ ſi non minus rebelles ſint, ad ſpiritus membra ueluti ad principium conuertit. Puta ad cor, eiusq́ calorem repente extinguit, cui nos addimus, aut ex illis ad particulam aliquam ut pulmonem aut pectus de pellit, & ſanguinis ſputum inducit, aut ibi apoſtema ſugillat, & id in ea potius, quàm in alia parte facit, quia tunc temporis debiliorem rarioremq́ inuenit. Propter noſtri corporis continuam uariationem, atque transmutationem, ideo quæ prius fortior, compactiorq́ pars fuerat, altera mutata uice, debilior, laxiorq́ efficietur, quum ergo materiæ non ibi ortum habuerint. Sed locali, ſucceſsiuoq́ motu fuerint tranſmiſſæ, in toto ſanè huiuſce lationis tempore, uniuerſa tranſmiſſa erit materia. Minime autem nec tota, nec multa in temporis principio ad inflammationis locum demandata erit. Minusq́ ad partes ei uicinas. Hoc nanque illud eſt, quod ne dum opere, ſed nec cogitatione unquam aſſequi potui. Verum quia de hoc cum Clariſsimo Madio infra diſputaturus ſum, iccirco ne id fruſtra repetere deinceps opotteat, in eum locum differre opereprecium uidetur, illud uero in præſentia dixiſſe ſufficiat, quod ſi à remotis transfunditur materia ad locum ipſius M. modica in ipſo, & in uicinis ei partibus eſt: Quia tamen noxius humor eſt, atque ex diuerſa affectione à recipientis membri temperatura impreſſus, ac uiolentia, ſiue impetu tranſmittitur, nihil mirum ſi modica huiuſmodi humoris partio in parte plurimo ſenſu referta eius non expectata copia dolorem effatu dignum repente excitare poſsit, id quod non accidet in G. Quò fit, ut iure merito proprius hic ei doloris modus inſit longeq́ ab eo qui ipſi .G. conuenit diuerſus exiſtat, hac quoque ratione in eo à principio adſtringentibus, frigidisq́ ad repellendum utendum eſt, qua nimirum de cauſa Auicenna, & Meſues doctores grauiſsimi in principio ipſius M. lentibus & aceto utuntur, quorum tamen uſus procedente morbo, affluenteq́ materia minime continuari debet. Quam ob rem non eſt quòd doct. hic Clar. Eleuato ſupercilio de hac re tantum admiretur, quum res ad M. non ad G. redacta ſit, ac morbus non ſit in augmento, aut ſtatu, ſed tunc primum inchoet. Quo etiam tempore ei reuulſio conuenit. Illius quippe naturæ, quæ non quidem modicam apoſtematis materiam euacuet, ſed illam potius, quæ in totius ambitu eſt, reſpiciat, non enim me ad hæpar limito (ut mihi imponit doct.) quum repletum undequaque corpus aſſumpſerim, quod planè munus ſaphænarum inciſionem probè agere oſtendimus, iccirco ab ea coloris mutationem ex-

pectare(ut arbitratur doctor ſectam inſequens) minime congruũ eſt, quum id duntaxat in euacuantibus, aut ſimpliciter, aut ſecundum quid uenæ ſectionibus deſideretur. Quam ob rem ea nimirum phlobotomia, quæ apoſtematis materiam non reſpicit, remotisſima eſſe debet, atque eadem ratione anguſtum requirit ſectionis oſculum ac omnino parcam expoſtulat euacuationem. Ea propter longe melius ex pede quàm ex poplite efficitur, quòd ſi nos fortaſſe copioſam materiam educere uoluerimus, à poplite utique id rectius ageretur, propter eam quam hic Doct. adduxit cauſam. Verum (ni fallor) hoc eſt phlobotomiarum finem ambigere, & pluſquam deceat ab apoſtematis dolore perterrefieri. Quem tamen ex quotidiano uſu tam longum nobis tempus concedere animaduertimus. Quam obrẽ utrique ii canones in ipſo M. optime exerceri poſſunt, qui alioquin in G. adminiſtrari nequeunt, proinde corolariè ſequens eſt: Quod ſi uniuerſa apoſtemata hoc pacto (ut ſecta ad Galeni mentem dicit) efficerentur, nimirum quòd incipiente dolore inflammationis locus, & uicinæ ei particulæ repletæ inuenirentur. Profecto nec repercusſioni, nec reuulſioni amplius adeſſet locus. Iccirco ſuperuacui hi omnino eſſent canones, quod non leue arti detrimentum afferre uidetur, quam ſanè rem Clar. BRANDA probè in eius literis animaduertit. Relinquitur igitur (tanquam manifeſtum) apoſtema quoddam morbi genus eſſe. Quod licet per plurimas differentias diſtingui posſit. Illius tamen prima diuiſio à generatione ſumi debet, utpõte quod generatio eſſentiam præcedat, & tanquam in ipſam uia ſit. Vt in primo de animalium generatio. dixit Ariſto. Præterea manifeſtum eſt, quòd ſicut duo ſunt, generandi modi, ita quoque duæ ſunt eius primæ ſpecies, ſiue ſub alterna genera: Quæ quum diuerſa ſint, diuerſas etiam proprietates ſortita ſunt: Quam ob rem & dolores qui in illis fiunt, & eorum curationis modi penitus diuerſi ſunt, id quod non tantum ex latinis, & barbaris, ſed etiam ex Græcis ipſis in libro monſtrauimus, quam planè rem nunc pertranſeo. Illud tamen non omiſerim, quod Galenus in commentario de ſanguinis misſione, in eadem indiuidua pleuritide utrunque curandi modum admittit, licet alterum, altero magis, ex quo ipſius error palàm depræhenditur: Quod inquam apoſtematum non exactam habuerit notitiam. Si nanque inflammatio primæ fuerit

EPILOGVS.

ſpeciei,puta G.cum eiuſdem ſanè lateris phlobotomia in principio tentanda curatio eſt, uerum ſi ſecundæ ſit ſpeciei,ſcilicet M. exacrabile omnino illud eſt ingenium, quando quidem per aduerſum, ac pes diſtantisſima ea primum agenda foret, ſed quum ipſe utrunque admittat modum: Rem ſanè totam confundit, & has in explicitas habuiſſe ſpecies oſtendit. ¶ Non eſt autem me hercle, aliquid, quod ipſe Galenus dicit, apoſtema tunc adeſſe, quum materia multa in loco, aut circa locum per initia doloris exiſtit: Si enim hoc ipſi G.conuenit, ipſi certe M. repugnat, quum uero inſuper dicit, maiores uenas ad minores mittere, quod humorum defluxionem notat, ipſi nimirum G. non conuenit, eo quòd nullo humorum locali motu conficiatur. Quare non minus ipſe apoſtematum generationem quam eorum curationem confundit, inde non mirum eſt ſi plura ei per errorem contingunt: Quæ uero nos dicimus (adſit reuerentia uero) omniæ naturæ rebus, ac rationi potisſimum, & rite medentium actionibus conformia exiſtunt.

His igitur præmisſis iam nobis patere poteſt,qualis illius apoſtematis ſit generatio, atque conſtitutio, quòd humorum fluxione conficitur. Item an una, an pluribus phlobotomiis eius curatio perfici debeat? Et an qua in remotis partibus tentantur, quicquam conferant? Quum in apoſtematis loco procumbentem materiam non euacuent. An contra potius inutiles omnino haberi debeant? SVPEREST modo de fibrarum conſenſu, atque de rectitudine ſeruanda, tum in reuulſione, tum in euacuatione uerba facere. Verum quia in tribus quintæ ſummæ capitibus, noſtri commentarioli, hanc affatim rem pertractauimus, quæ doct.uidere potuit, ſimiliter an in eadem differentia reuellere liceat? De quo etiam ſumma quinta cap.X. fuſius diximus, ad ea omnia loca me remitto.

¶ Ad ſingulas modo doctoris dubitationes conuerſi dicimus motiuum eius primum quod nobis obiicit, uidelicet noſtrum curandi modum, nec ab Hippocrate, nec a Galeno minusq́ ab eorum ſectatoribus obſeruatum unquam fuiſſe, proinde ſuſpectum eſſe. Idem prius à nobis ſumma quinta perſpectum fuiſſe, capite ſecundo, illudq́ ibi remouiſſe, de hac dicentes medica facultate id ꝙ uiri quidã docti de Ariſtotelis philoſophia aſſerunt. Eã ſcilicet cũ philoſophia ſimpliciter minime conuerti. Ita in

propoſito

propoſito hoc noſtro dicendum: Quòd ſi Græci hac in re non tot poſuere phlobotomias, poſteriores tamen illis: Qui quanto recentiores, tanto perſpicatiores comperiuntur, eas nobis tradiderunt. Eis forte ex cauſis commoti quas cap. VI. eiuſdem quintæ ſummæ adduximus. Vbi ex finium diuerſitate, earum multitudinis neceſſitatem oſtendimus. Quam obrem non ſequens eſt, ſi Hippocratis & Galeni doctrina, has plures non præcipit phlobotomias, quòd ſcientia ipſa eas iubere non debeat: Præterea nemo eſt, qui authore philoſopho neſciat, quòd locus ab authoritate inſufficiens eſt, ac multo magis, ſi negatiuus ſit, non enim (ut eo loci diximus) in ingeniis præcluſa eſt ſpeculandi uia: Quum maxime artes Ariſtotelis ſententia, continuam ac maiorem deſiderent perfectionem, quòd ſi tam grande commodum omnibus opportunum eſt, facultas ſanè hæc noſtra CONCILIATORIS teſtimonio eo potisſimum indiget, ueluti & asſiduus rerum uſus digito nobis oſtendit. Præter hæc, Doct. adducta ratio minus nos cogit, quò minus tot numeroſæ phlobotomiæ ponendæ ſint, propterea quòd uirtutem ipſam deiiciant, quum potius hac tutisſima certe uia ea ſeruetur: quando quidem hoc non abſimile eſt pauperi cuidam debitori: Qui pluribus utique ſolutionibus multam commodius ſoluit pecuniam: Quam alioquin ſemel, atque unica ſolutione non poſſet, eapropter Auicenna primi quarta in uirtutis imbecillitate phlobotomiam partiri præcipit, quod ſanè præceptum in particularium morborum curationibus deinde exequitur, ut in pleuritide, & ſanguinis ſputo, & deniq; in omni morbo, ubi res ita expoſtulet (ut facile ab eo eſt uidere) nam hoc pacto uitalem facultatem conſeruat, ſicut è diuerſo contra agentes, copioſam ſcilicet ſanguinis miſsionem facientes, eadem etiam die repetitam illam exterminant. Quod autem hoc uerum ſit, ſenſus nobis aperte demonſtrat: dicunt enim authores illuſtres ultimos ſenes a coſtali morbo non ſaluari, nos uero hac fœlici aura, & uia, ſenio confectos, quorum paulo poſterius fidem faciemus, ad ſalutis portum perduximus. Ergo numeroſa hæc tutisſimaq; phlobotomiarum uia præeligenda eſt, contra copioſa illa, quam non minus temere, quàm impie Gallenica ſecta operatur, anathemate eſt inſequenda.

Quòd uero deinceps Doct. dicat Galenum xiii. Methodi ſecus operari, qui læſa capitis parte dextra, humerariam quoque dextram ſecat: Miror equidem non parum, quod hunc in teſtem Authorem mihi adduxerit: Quum nemo in propria

cauſa (ut teſtis idoneus) admittatur. Eapropter illius authoritas nihil prorſus nobis officit. Et hæc ad primum doctoris articulum ſint ſatis.

Ad ſecundum deinde non minus reſpondetur, in quo diſtantiſſimã illam phlobotomiam quã ab initio morbi fieri iubemus, quinque deſtruit rationibus. Miratur enim primum, cur potius Saphenam eligimus, quàm poplitis uenam? Quandoquidem per communes uenas maioresq́ꝫ, & in quibus etiam maior eſt fibrarum conſenſus, id fieri debeat: ego quidem ſi Galeni æmulus eſſem, fortaſſe ita facerem, irritam enim omnem ſecta putat actionem, quæ doloris materiam à principio non euacuat. Nec abſimilis ei eſt, qui in domificatione neglectis prorſus fundamentis nihil præter tectum operari intendit, ego autem quum hoc abhorream, ea propter à remotisſimis quaſi à fundamentis incipio. nã licet finis me in contemplatione plurimum moueat, in ipſo tamen operandi modo me magis fundamenta ſolicitant, ac primum iccirco diſtantisſimam, & minimam, ac cum minimo foramine uenam eligimus, quum ſanguinis tunc currentis tractus ad oppoſitum nobis ſufficiat, utpote q̃ ſic uirtus probè ſeruetur: Quam ob rem eam tantum reuulſiuam appellauimus. Quid autem ille fibrarum conſenſus operetur: atque illa tam famoſa rectitudo cui ſeruiat, & quomodo, in capitibus illis tribus quintæ ſummæ ſatis dictum eſt: Similiter eo loci patet ad quem finem in coxendico dolore, de quo Doctor uerba facit, ita fiat.

Ad ſecundam etiam huius articuli rationem dicimus, quòd ſi nos ad tempus euacuationem requirens limitati fuerimus. Vtique ea eligenda eſt uena, quæ copioſius & celerius ſanguinem à parte læſa educit, & ſi ita intelligatur, in hoc cum ſecta non litigamus, ſed quòd extra id tempus, puta ante ſanguinis motus complementum, ut in principii, & augumenti tempore ea eligenda ſit, profecto nec uerum hoc eſt, nec uitæ proficuum, ſed letale omnino exiſtit. quin immo ita agente medico, ſi minus Aegrotans intereat, miraculo certe aſcribendum erit.

Ad tertiam ex ante dictis iam ſatis patet: Expectandam ſolum eſſe coloris ſanguinis mutationem, in illis uenarum ſectionibus, quæ quoquo modo ad humoris in inflammatione contenti, euacuationem pertinent, ſiue ſimpliciter, ſiue ſecũdum quid fuerint, ſed in phlobotomia reuulſiua ſimpliciter, quæ huiuſce euacuationis omnino expers eſt nequaq̃ deſideranda eſt coloris mutatio. Neque

Auicenna & Meſues in hoc phlobotomiæ genere quicq̃ de ea dixerunt. Quòd uero Hippoc. & Galenus huiuſmodi coloris mutationem præceperint, nihil eſt quòd admiremur: Quum ipſi uenam euacuatiuam ſimpliciter aut deriuatiuam eligant, in qua re, eis minime aduerſamur.

Quòd ad quartam modo confirmationẽ attinet: ego planè illi renuntio authoritati tũ Hippocratis tũ Galeni epidimiarũ ſecunda: Si ibi ita intelligant, ut reuulſionem deriuatio ipſa præcedere debeat. Quando hoc non abſimile ei eſſet, quòd quis dixerit, tectũ fundamenta præcedere. Hoc enim illud eſt, in quo noſtrum in primis erectum contra eos eſt litigium. Hoc illud profecto eſt, quod prius probandum fuerat. Et pro quo noſtris rationibus ſatisfieri petimus. Atque pro ueritate ipſa, bonoq́ꝫ publico uehementer inſtamus, neque Auicenna quem ita meum uocat doct. hoc alicubi unquam dixit. Bene ipſum dixiſſe ſcio, primi quarta, quum ad diuerſum trahere uolueris loci dolorem, prius ſeda. Id quod intelligendum eſt. Non ſtupefacientium (ut probè quidem inquit doctor) ſed fomitum inquam auxilio faciendum eſſe, quod & ſi (ut aliàs dixi) principalem, rectamq́ꝫ non facit curationem, principali tamen curationi uiam facit, atque dolori leuamen aliquod affert, non tamen perpetuum, quinimmo niſi alia præſto ſint auxilia, paulo poſterius longe maiorem dolorem excitabit, ut tertio artis med. & apho. V, XXXI. commento, Galenus dicit. Inquiens, quum primum adhibetur fomentum, aliquod leuamen infert: Sed paulo poſt dolorem auget, quam ob rem Auicenna (ut eò loci dixi) prudentiſſime ad duo animaduertit, ad iuuamentum præſentaneum, ac temporale, quod fomento aſſequitur. Et ad ſperatum commodũ quod ſubinde ſequitur, per phlobotomiæ diuerſiuæ adminiſtrationem, quæ frequenter ſola ſanitatem inducit. Cuius phlobotomiæ ſicuti perpetuum eſt iuuamentũ, ita ex aduerſo, qꝫ à fomenti facultate prouenit, inualidum, inconſtans ac momẽtaneũ exiſtit. Nec ad eam certe intentionem faciendum eſt ut ex eo perfecta ſalus ſit expectanda, quoniam hac nimirum de cauſa, ut materiam, & dolorem radicitus diſcutiat, nunq̃ applicandum eſt. Niſi poſt corporis totius euacuationem, & hoc puto Galenum uoluiſſe: Sic enim arbitror tolli debere illius cum Hippocrate cõtradictionẽ. Quãdo inquit, qꝫ nullo Topico remedico utendũ eſt, ante corporis uacuationẽ de ipſo nancꝫ intelligit ꝑ ſe & nõ in ordine ad aliud, ut uiſus eſt, Hippoc. feciſſe quum tanto temporis ſpatio eo ipſe uſus fuerit & ideo

animaduerſione aliqua non omnino indignus uidetur & Auicenna ibi fomentum non præeligit,ut auxilium per ſe, ac tanquam principale, ſed in ordine ad aliud. Et ut temporale, in ordine ad ſempiternum,ut ſcilicet in illo modico tempore, iuuamentũ ſtabile acquiratur, nempè dum ipſum applicatur, dolor nullus ſentitur:uel modicus, quo fit, ut ſecta uena per aduerſum trahens,à dolore, oppoſito modo attrahente, deinceps non impediatur. Sanè iudicioſus uir nullum ab iis uerbis nec arti, nec rationi incongruum ſentire poteſt, ea propter Auicenna laude dignus eſt, quum ante ſanguinis misſionem reuellentem doloris lenitionem anticipando præcipiat, fomentaq́; præmittat. Vt Hippocratis quoque faciebat licet non ſecundum eius finem,quod autem Auicenna lenitionem hanc cum phlobotomia deriuatiua fieri uelit, ut Briſottus cæteris ve conſortes,quos doctor hic æmulari uidetur inquiunt. Nuſquam in eo legi in uniuerſalibus præſertim canonibus,ne dum in particularibus morborum curationibus, ut ubiq́; locorum ab eo uidere facile eſt. In ægritudinibus ſcilicet quibus propriam cum reuulſiua phlobotomia curationem adhibet, nullibi nanq́; ipſe tali operatur modo. Profecto hoc apud hos qui iudicio pollent ſolidisſimã (ni fallor) inducere fidem ſatis eſt, quòd hæc ſectæ expoſitio falſisſima ſit, & à mente principis alienisſima, ac non modicum dedecoris inuentoribus afferat, demum quonam pacto doct. quum grauisſimi ſanè ſit iudicii, ex illis mouetur uerbis? Quòd dixerit Galenus declarata deriuationis natura decens erat Hippoc. adhuc reuulſionis ſubiungere declarationem, ac ſi operatio omnino talis eſſe debeat, qualis inſcribitur docendi modus, præſertim ubi qualis res ſit, non quo pacto ſit facienda doceatur. Neceſſarium enim non eſt, Authore philoſopho, quinto meta. capite de principio, ab eo ſemper incipere, quod eſt principium ſecundum naturam, ſed multotiens, ab eo quod eſt cognitu facilius. At quòd maius eſt Auicenna in capite de pleuritidis curatione, poſt duplicem reuulſionem, ultimo loco deriuationem præcipit. Atqui ſi eandem in principio uellet, quid huic doctori phlobotomiarum numerum ſic abhorrenti uideretur? Voluit autem dicere Galenus, quòd habita ab Hippocratis doctrina de deriuatione, ne res imperfecta maneret, conueniens non minus erat, reuulſionem explicare.

Atqui nonne admiranda eſt Hippocratis & Galeni in hac re phlobotomiæ inſufficientia, uel potius ſobrietas? Quæ poſterio-

ribus

ribus tantam incertitudinem, litigiiꝗ occaſionem præbuerit: Ali-qui nanque dicunt Hippocratis reuulſionem factam fuiſſe pro cõ-ſtanti habuiſſe,& ſi uerbis eam non expreſſerit. Alii non Hippocra-tis modo ſed Galenum etiam deriuationem operi anteire omnino uoluiſſe contendunt: Quo non igitur pacto hac in re antiquorum inſufficientiam accuſare non poſſumus? Quòd ſi hos ego pro com muni hominum bono, errores detexerim, illosꝗ doctiſſimorum ui rorum (quales ii ſunt quos eligi) authoritate, operaꝗ uſus remo-uere deſiderem? Cur tot ſcrupos nec admodum neceſſarios mihi obiiciunt? Tamꝗ acriter mihi aduerſatur homines? Profecto qui hæc noſtra legent (pacati ſi fuerint animi) me per tantum tempo-ris ſpatium iniuſte uexatum fuiſſe animaduertent.

Ad ultimam quoque ſecundi huius articuli confirmationem, re-ſpondens dico, me non parum admirari, quod mihi ab hoc clar. doc. impoſitum fuerit in pleuritide me ab hepate illum quem terminum à quo dicunt ſumpſiſſe. Quum nullibi hoc dixerim, quinimmo ſi id forte dixiſſem, id per exempli modum intelligi uelim, uerum totum corpus in cauſa eſſe ſuppoſui extra uidelicet illam poſitionis differentiam, in qua ſcita fuerit inflammatio, & id terminum a quo uocaui, & eam totam differentiam terminum ad quem, merito quo rum, tum reuulſio, tum euacuatio fieri debeant. In eo maxime apoſtematis genere, quod M. uocauimus, & eam proprie reuulſio-nem appellauimus, quæ ad illius loci contrarias poſitionis differẽ-tias uertit, contraria ea intelligendo, quæ maximo inter ſe diſtant interſtitio, non quippe materiali, ſed formali, & non per ulnas men-ſurato (ut alibi dixi) qua ratione in eadem met poſitionis differen-tia propter eius diuiſibilitatem, contrarium fieri motum, ut in ac-ceſſu, humorisꝗ receſſu, non eſſe reuulſionem putare debemus, li-cet huiuſmodi motus de contrario in contrarium terminum tendat, quinimmo ſi alter ei contrarietur motus, modo eam non exeat po-ſitionis differentiam reuulſio non erit, quæ ad apoſtematis prohi-bitionem faciat, quinimmo illa erit humoris uacuatio, uel eius de-riuatio, quæ ad aliorum in aliis differentiis poſitionis exiſtentium humorum attractionem atque conuerſionem plurimum uiuat, & conſequenter nequaquam. Sine contradictionis implicatione re-uellere poteſt, quum diuerſio re uera. Vltra terminorum contra-rietatem, poſitionis etiam differentiarum mutationem eſſentiali-ter expoſtulet: Et hic hercle maximus eſt, ſectæ lapſus, quum po tiſſimum Hippocratis reuulſionem per terminum à quo & ad quẽ

diffinientem

diffinientem nullibi uiderint. Sed per ſurſum & deorſum, & per dextrum atque leuum, quæ nimirũ in homine talia ſunt, qualia philoſophus nobis declarauit, non quod ex uoſtra imaginatione, aut collatione à nobis facta, ſed ex rei ipſius natura pendeant, ſecus nanque ubi caperentur, tunc nequaquã ubi deſinit philoſophus (ut inquit Ariſtotelis) medicus inciperet, ſed ei aduerſaretur, unde nec philoſophiæ medicina ſubalternaretur, ſi ea ſecus acciperet terminos, quã illa, quòd eſſet artis huius nobiliſſima prorſus deſtruere principia, honoratiſſimum quoque diuinumq́ꝫ illud patrocinum, quod fœliciſſima ſorte aſſequuta eſt, ignauiter eſſet abiicere, ut deinceps inter plebeas diſciplinas adnumeranda potius eſſet, qua quidem in re ne dum philoſophi diuinitatis admodum participes, ſed qui elegantes ſtatim medici, quum iſthæc inſulſa, & erronea audiunt, non parum animo ſuccenſere deberent, & hos tam agreſtes homines, ab eorum conſortio excludere, ſatis igitur nobis eſt, habito iam termino ad quem in principio puta dextra coſta circa quam modo dolor inſurrexit ſi inferius puta pedem ſiniſtrum ſecuerimus, ad oppoſitum ſcilicet terminum, optima ratione trahentes, a quocunqꝫ ſanguis illæ diſceſſerit loco & ſi etiam primum ab eadem motus fuerit differentia, quem ſanè motum nunc pro libito titubationis uocamus, quum ita proxime non uariata differentia motus fuerit, reliquum deinde ſanguinis, quod in oppoſitis exiſtit differentiis, ex cauſis alibi dictis, ad eundem doloris locum alliciens, atque prouocans, ſic nanque ſiniſtrum illum ſecantes pedem, exquiſitam planè reuulſionem agemus. Aut ea minorem, ſi ei oppoſitum in longitudine duntaxat diducemus, & hoc quum modica, in loco, principii tempore extiterit materia, id quod de aliis reuulſionibus. Aliis correſpondentibus temporibus humoribus etiamnum fluẽtibus, intelligendum eſt, hoc enim remoto, reuulſio non erit, ſed ſophiſticæ tantum imaginationes, quum natura in humani corporis partibus formas atque uirtutes ſugillauerit, ut problematum XXXII. Ariſtotelis per aurium naturas nobis monſtrauit, quum dixit mulieres aurem dextram maſculam uocant, ſiniſtram uero fœminam, quæ perforata ocius ſanatur quam dextra, ſi igitur à natura hæ ſic diſſitæ ſunt, quonam ergo pacto libito noſtro dextrum in ſiniſtro, aut contra nos capere poſſe putamus? Reuulſionem ſic facere credentes, quum in de animalium motibus commentario dicat Ariſtotelis, cor ipſum dextrum a ſiniſtro diuidere, & in uiuentibus, quod dextrum eſt, ſemper dextrum eſſe, nec unquam ſi-

niſtrum

niſtrum fieri poſſe, in homine præſertim tam mirabiliter à natura fabrefacto. Stantes igitur circa dextram mammam, & penes eam partem tantum uerſantes, nec cor pertranſeuntes, nequaquam ſiniſtrum habere poterimus, quo ſiniſtro amiſſo, circa idem latus duntaxat operantes, non reuellemus per latitudinem, ſcilicet hinc & inde, ut dicit Galenus, ſcilicet a dextro in ſiniſtrum, minuſq; ſic trahemus a ſurſum in deorſum, aut ex retro ad ante, nec è contra ergo nullo modo reuulſio ſic agitur, quum in collaterali brachio nulla requiſita adinueniatur oppoſitio, niſi phantaſtica. Quòd ſi ita ſe habet res, igitur ea ſecta uena in principio, ad locum læſum potius fiet attractio, atque conuerſio, & nullo modo diuerſio, & inde ægrotantis paratur interitus. Quare ſic nulla eſt doctoris dubitatio, uidelicet quòd in coſta dextra excitato dolore, incertum nobis ſit, à quo membro relegata ſic currēs materia fuerit, ut incerti quoque maneamus, quem pro reuulſione locum eligere debeamus, hoc enim nihil eſt, quum pro comperto iam habeamus humorum fluxionem ad coſtam ſuperiorem dextram V. G. repſiſſe. Item ex antiquorum mandatis, nullus eſt qui dubitat, quòd in principio fluxionum, pro reuulſione nos eligere debeamus diſtantisſimum & contrarium locum, qui porro diſtantisſimus locus in caſu noſtro, eſt pedis uena (omnium conſenſu) & ei contrarius unica contrarietate eſt pes è directo ſibi reſpondens, ſed ei magis & uere contrarius locus eſt, qui in contraria regione poſitus eſt. & quum in utroq; loco peroptime finem ſuum medicus aſſequi posſit, igitur ex ſola termini ad quem inſpectione plenitudinem præcognoſcens probè eius erigere poterit conſilium. Quod apud ſectam tam difficile eſt, ut ſe in hoc tam uehementer confundat. Similiter è nare dextera fluente ſanguine uentoſa recte iocinori applicatur, ubi ab ipſo fortasſis defluxerit, ſed ubi à toto relegatus fuerit, non hercle ſatis erit ei ipſam apponere, ſed & ſpleni, & popliti, & calcaneo neceſſarium erit. Quare huiuſmodi dubitatio nulla eſt, atque hoc pro ſecundo articulo ſit iam ſatis.

Circa tertium deinde articulum, in quo ſecundum illud phlobotomiarum genus doctor reſpuit, dico quòd hic contendere non intendo. An quartum de ratio. uic. in acu. commentarium Hippocratis ſit genuinum. Hoc nanque curioſis relinquo, hoc unum certe ſcio, quòd fluentibus ad partem dextram humoribus, puta ad mammam, inſtante etiamnum fluxu, ſi baſilica dextera ſecetur, non eſt ad ſiniſtrum trahere, nec ad inferius, ut in libro de ſuccis præcipit

pit Hippocrates cui Galenus quarto & quinto methodi, multisq́ aliis in locis, conſentit, ubi maxime de uniuerſalibus agit, proinde ſic eſſet Hippocrati aduerſari, quinimmo, quod plus eſt, rationi ipſi reluctari, quæ illius longe præualet authoritati, ſtante enim in coſtis dextris dolore nuper excitato. Vniuerſus membrorum ex mutua eorum colligantia appetitus inſurgit, ut ad affectam partem tranſmittant, atque illi, opem ferant. Quam ob rem ſi in eadem differentia uacuatio tunc temporis tenetur, non modo illud exortũ non retundetur deſiderium, quin etiam plurimum augebitur. Nempe eo loci inducto uacuo omnem attrahentem cauſam ſuperante. Atque hoc pacto quæ ſimplex erat prius attractionis cauſa per huiuſmodi auxilium duplicabitur. Nec dolori tolletur occaſio, ſicut in repletis nimium corporibus frequenter uidimus. In quibus intempeſtiue nimium ſanguinis miſſio in oppoſita inflammationi inchoatæ baſilica tentata: in ea thoracis parte, in qua non aderat, inflammationem rurſus excitauit, plurima eo loci uacui facultate attracta materia, ut fuſius in libro notauimus. Igitur ſi iſthæc phlobotomia in pleno corpore (ut ſupponimus) non factum apoſtema facit, quonam pacto ipſum iam factum non augebit?

Neque ualet id quod doct. cum ſecta dicit, quòd baſilica eiuſdem lateris etiam reuellat. Quum ſanguis qui a uena magna per ramos baſilicæ, ad coſtas ſuperiores earum altrices tranſmiſſus fuerat, aut per ramos Azygon ad inferiores alendas in cauam deinde uenam iterum retrocedat, reuulſio autem non niſi motus ſit priori contrarius. Profecto non ſatis admirari ualeo, quòd tam modica res ſectæ ingenia inuoluat. Velitq́ per ſolum motum contrarium in eadem differentia poſitionis factum, reuulſionem fieri, quum eiuſdem differentiæ partes unius prorſus ſint nature (unius formæ, quũ ſint) eapropter huiuſmodi partes eiuſdem ſunt proprietatis, & non contrariæ. At reuulſio (ut quinta ſumma diximus) fieri haud poteſt niſi ad contrariæ differentiæ poſitionis partes motus fiat, quæ ratione diuerſitatis formæ admodũ diſtantes ſunt, & contrariæ omnino dici debent, neque unquam reuulſio dici poterit, niſi per tranſitum ad aliam poſitionis differentiam, licet in unica motus eſſe poſſit, propter ſpatii diuiſibilitatem, in ſe diuerſa quidem ubi admittentis, quorum ſanè nullum totale ubi, aliud eſſe poteſt, quò fit ut probè quidem localis fieri poſſit motus, & ea ſpatii diuiſibilitas cõtrarios inuicem ſucceſſiue motus admittat, ut quòd ſanguis ad unũ ubi motus, rurſus ab eo retrocedat, & ita poſterius priori contra-

rium

rium erit, ſed tamen hoc (ut putant) reuulſio dici non debet, quum differentiarum poſitionis mutatio toties dicta omnino requiratur, quòd ſi hanc Galenus quandoque declinauit uiam: Eius mihi parcant manes, errauit & Hippocrati & ſibi contradixit, nec ob hoc lacerandus eſt, ut de Auicenna tam graui philoſopho, ac medico, quidam parum conſiderati dixere, quum alioquin Galenus maximus fuerit author, & hominem facile conſequatur error, ſed ad inſtitutum ſermonem redeamus. Dicentes quòd omnis motus ad id latus, & in eadem differentia factus euacuatiuus, deriuatiuus, attractiuus, ſiue conuerſiuus dicendus eſt, nequaquam uero reuulſiuus, quem ad modum de eo dicimus, qui contra fit, ut à dextra parte ad ſiniſtram, nam præter hoc, quod ſic cor ipſum pertranſitur, ſanguis non ad dextrum trahetur, ſed uel ad ſiniſtrum diſterminabitur, uel iam inchoatus motus finietur, quum planè inter contrarios motus media quies ſe facillime inſerat. Apparet non minus quàm pueriliter ſecta reuulſionem à coſta dextera ad ſectã quoque dextri brachii uenam fieri uelit. Quòd ſanguinem foris extrahat, & quod eum ad brachium, & non ad coſtam mittat, hocq́ ſit ad diuerſum trahere, & reuulſionem inducere, ne terminos, ac nomina effingamus, quem ad modum facit Doct. ſeparans diuertere, ab ipſo reuellere, ut paulo inferius uidebitur, cæterum quòd hoc nullius prorſus ſit ualoris, ex iam dictis in libro manifeſtum eſt, & in ea quam cum clarisſimo madio infra faciemus diſputationem, uidebimus ex Galeni etiam intentione, non ſufficere ad diuerſionem faciendam motum priori contrarium fieri, neque à membro uno ad aliud tendere, quòd ſi ita res ſe habet, quum poſtea idem Galenus uelit in principio inflammata coſta dextra baſilicam iterum dextram ſecari, hac ratione ductus, quòd ſimul reuellat, ſimulq́ euacuet, quis eum ab errore tueri poterit? Amplius hoc in loco clarisſimus hic Doc. duo animaduertere debet, alterum contra ſe ipſum, qui diuerſionem reuulſioni, & deriuationi genus eſſe exiſtimat, hasq́ ut contrarias ſpecies inuicem oppoſitas ei ſubſtare, quum tamen diuerſio reuulſioq́ idem omnino exiſtant, ut paulo inferius uidebimus, alterum uero animaduerſione dignum eſt, quòd quæ ſuperius in Auicennæ uerbis adducta ab eo fuit expoſitio, admodum incongrua eſt. Nimirum quòd huiuſmodi doloris ſedatio, ante reuulſionem faciendam, ſiue diuerſionem, ut eius authoris dicit litera, cum deriuatiua phlobotomia, & non alio ingenio tentari debeat, ex quo ut manifeſtum eſt, Auicenna hanc deriuatiuam duntaxat

taxat in fine ponit, eamq́ loco uenæ euacuatiuæ phlobotomiæ, cum qua(ni fallor)tantum conuenit, quantum ab ipſa reuulſione diſſidet, quòd autem deriuatio & euacuatio inter ſe conueniant, & earum utraque reuulſioni contrarietur, infra uidebimus. At quòd retroceſſus ille ſanguinis à coſta dextra ad cauam, deinde ab ea ad brachii baſilicam reuulſio non ſit, ex dictis & infra dicendis liquido patere poteſt, clariſſimus igitur hic doctor rationem quam cōtra etiam ſecundam reuulſionem obiecit, contrahere deberet, quoniam aduerſus eam parum nimirum proficit, quando quidem & ipſa opportuno tempore facta inſignis iuuamenti exiſtit, uidelicet quum materia partim fluxerit, partimq́ fluxura adhuc eſt, quia tunc potiſſimum illud eligimus auxilium, quòd utrunque prohibet, id quod hoc in morbo nulli prorſus conuenit uenæ, niſi baſilicæ oppoſiti brachii (ut toties diximus.)

At dicet quiſpiam Hippocrates ita re uera operatus eſt ab initio pleuritidis eiuſdem brachii uenam ſecans (ut patet) ex iis quæ ſecundo & quarto de ratio. uic. in acu. ſcripſit, ego omiſſis iis quæ uulgo dicuntur, ea duntaxat adducam, quæ mihi magis conſona uidentur. Prætereo nanque quòd Hippocrates reuulſionem factam fuiſſe ſuppoſuerit, litera enim eius totam repetens curationem huiuſce rei falſitatem teſtatur. Item (ut probè inquit Doc.) Mirum profecto quid fuiſſet, quòd in aliis per eum narratis morbis integram auxiliorum ſeriem tradidiſſet, huius uero diminutam, cuius alioquin exacta præ aliis expectanda erat, pariter & ſilentio inuoluo, Hippocratē morbi initio non interfuiſſe, quū non minus ex litera oppoſitum cognoſcatur. Præterea non modo illius minus fuerat dicere, quid fecerit, ſed ſi affuiſſet, nos docere quid facto opus foret, eapropter meliori ſemper ſaluo iudicio dico Hippo. non latuiſſe, in inflammationum principio, reuulſionem faciendam eſſe, quoties illius generationis modus ita requirit. Verum ipſe fomitum ſpe ſeductus, ad octauam uſque diem peruenit: Quo ſanè tempore reuulſioni nullus amplius relictus fuerat locus. Nullumq́ aliud ei ſupererat negotium, niſi omni reuulſione remota, ſimplici euacuatione patientem particulam euacuare.

Vel & forte melius, quòd illius etiam opinioni plurimum conſentire uidetur, ex eiuſdem de ſuccis commentario, quòd ea pleuritis ibidem recitata, non ex ſanguine genita erat, ſed ex aliis humoribus, in quibus phlobotomia penitus fieri non debet, niſi in fine, ut in linioſa dicit Raſes, id quod Arabum princeps Auicenna

per

per modum ſacri cuiuſdam oraculi nos prima quarti edocuit, uidelicet capite XX. ubi tum corporum temperamenta, tum ægritudines, ſanguinis miſsionem requirentes, ut podagram, coxendicen, apoplexiam, anginam, cæteraq; id genus enumerat, & nos docet, quid in his agendum ſit, qui prædictis obnoxii ſunt morbis, nondum uero in his inciderint, atque eius uerba in hunc habent ,, modum, Et debes ſcire, quod dum iis numeratæ ægritudi ,, nes timentur, & nondum in eis ceciderint, in earum principio pe ,, nitus phlobotomia dimittatur. quod plane dictum admirationis non omnino expers eſt: & ſi non in omnibus enumeratis ægritudinibus, in aliquibus ſaltem, ut in angina, & in pleuritide, nam quod in huiuſce morbis, à principio ſanguinis miſsio fieri non debeat, omnibus ſanè legentibus mirũ uidetur, eapropter expoſitoribus uerba hæc uiſa ſunt difficillima, iccirco à diuerſis, uariis exponuntur modis, eorum enim aliqui dicunt, non faciendam eſſe ſanguinis miſsionem, euacuatiuam ſcilicet, quoniam de reuulſiua falſum eſſet, alii non faciendam eſſe copioſam, inquiunt: Quæ mirum ni expoſitiones authoris uerba ac ſenſum præterire, apertisſimum eſt. Nam non ſatis Auicennæ fuit dicere, in principio faciendam non eſſe ſanguinis miſsionem, quin & illam dictionem penitus adiunxit, ut ex ea oſtenderet nullo pacto tentandam eſſe, qui enim phlobotomiam ſimpliciter deſtruit, etiam ipſius omnes tollit ſpecies. Item qui eam penitus aufert, & parcam & copioſam remouet, ex una igitur parte Auicennæ dictum falſum uidetur, ac methodis repugnans. Altera deinde parte, ſi res in ſe, cauſæq; illæ quas aſsignat, probè inſpiciantur: Apparet ualida quippè eum moueri ratione, & Hippocratis & Galeni arcana optime attigiſſe, quam obrem illius placitum ut ſentio exponam. Me tamen peritioribus ſemper ſubmittens, ſanè quiſquis aduerſus huiuſmodi præceptum agit, exacrabilem errorem incurrit, qui tamen ad hæc uſque tempora, ad uulgi aures nondum peruenit, quandoquidem ob illius ignorantiam ægrotantis interitum in ipſum minime unquàm refert, ſed in quandam potius morbi malitiam, & non in artis defectum, creditq; ſi ab initio omiſſa foret, à medico phlobotomia, ocius ægrotantem fuiſſe interiturum, & hic non abſimilis eſt error, ab eo quem medicorum nonnulli faciunt, qui in ardenti nimium febræ urinis inſpectis rubeis, atque igneis, confeſtim ſanguinem (ut rem neceſſariam) mittunt, & ægrum ad phrenitidem dedu-

unt, quiq; in tertiana ualde calida, atque pura à principio, pluſquam oporteat ſoliciti uenam ſecant, antea quam ſanguini bilis commiſceatur, & ex ſimplici illico duplicem tertianam faciunt, aut eam in cauſonem permutant.

Vt igitur hic deinceps ERROR euitari poſſit, huius loci interpretatio mihi admodum neceſſaria uiſa eſt, quam ob rem dico Auicennam hoc in loco (ut ſapiétisſimus erat) tria præ manibus habuiſſe, quorum unum (ut manifeſtum) & circa quod errare non contingit, peripateticorũ more relinquit. Ad propria illarum ægritudinum capita ſe ipſum remittens, in quibus nimirum ita operatur, ſicut & hic intendit, quum locus hic (ut aiunt) de actu ſignato ſit, illa uero ſint propria capita, de exercito, ſibiq; optima proportione reſpondeant. Conſiderat ergo Auicenna hominis plectorici, & cachochimi habitum, uidelicet multis exiſtentibus in uenis redundantiis, primum deſerit, tanquam notisſimum (ut patet) quòd ſi quis plectoricus in ſangineam inciderit V.G. apoplexiam, ei à principio ſtatim mittendus ſit ſanguis, quum nullus uel lippus ſit, qui hoc non uideat, de qua re quicunq; certior fieri deſiderat, illum prima tertii libri locum legat: uidebit enim ipſum actu id morbi genus curantem, & à phlobotomia incipientem, quum nimirum ſanguis cauſa fuerit, nam eo in loco dicit, quòd huiuſmodi actio ſanat in hora illa, idem quoque facit in ſanguinea podagra, & ita de quibuſcunque aliis ægritudinibus intelligendum eſt, cæterum ubi in caſu uiri cacochimi fuerimus, hic in duplici ſanè differentia reperiri poteſt, uel dum nondum actu ægrotat, aptus tamen ſit ægrotare, uel actu quidem laborat, hic nimirum dum actu non laborat, nec rectè, nec tuto phlobotomandus eſt, ſed ei prius redundantiæ pharmacis expurgandæ ſunt, ut ſanguis probè mundificetur, his improbis eductis ſuccis. Minus attamen malum eſt, dum actu non ægrotat, eum actu phlobotomare. Quàm poſtquàm ægrotare cœpit, & inenarratas ægritudines inciderit ſcilicet cum ſanguinis totali ſeparatione, nempè ueriſimile eſt, quod quum forte natura contra humores inſurgat ab eorum qualitate irrita innoxios potius agat, ad eorũ expulſionem, quàm in ipſum met ſanguinem, quum naturæ firmius ordo, perpetuumq; inſtitutum ſit, primum in maiorem, deteriorem've agere hoſtem quàm in mitiorẽ, qualis ſanguis eſt, qui eius filius dilectus eſt, & contra quẽ minus proritatur & cuius expulſionẽ quoad fieri poteſt, remoratur. Proinde ab humorum qualitate concitata illos primum à ſanguine ſecernit,

cernit,qui ſi forte ad guttur peruenerint,anginam cum ſanguinis ſeparatione conficient, ſi uero & idem ipſi ad ſuccingentem coſtas membranam peruenerint, pleuritidem ſine ſanguinis conſortio conſtituent, quo caſu eueniente per adminiſtratam phlobotomiam mirum in modum lædetur ægrotans. Propter eas maxime cauſas, quas Auicenna ibi adduxit, nempe quia huiuſmodi ſanguinis miſſio, humores ſubtiliat, uel inflammando, uel incrudando,& attenuando, ſi nanque calidus humor à ſanguine ſeparetur, per phlobotomiam utiq; inflammabitur, rarefiet atque ſubtiliabitur, ſi uero frigidus incrudabitur, & ſic aquoſitate(ita dixerimus) attenuabitur, cui poſtmodum facillime congelatio ſubſequi poterit, qui attenuatus, ſimulq; ab hac incongrua phlobotomia agitatus,per corpus curret, & ſano ſanguini per iam prius factam ſequeſtrationem ab humoribus prauis depurato rurſus miſcebitur, & nihil ex eo quod oportet, euacuabitur. Verum antequam ita ſecerneretur,ad minus ſecta uena propter cõmisſionem mali cum ſanguine ſucci ſimul exire potuiſſent.Iccirco propter hoc ſolum ſecure plus ſanguinis miſſio concedi poteſt, ante caſum, quam poſt illum,quòd & ſi in litera, ea particula non ſit uidelicet,q; ſi inciderint cum ſanguinis ſeparatione &c. ,,
Ratio tamẽ per nos ſuperius adducta de ſeruato à natura ordine in ſuis agendis actionibus quæ quum agit in contrariũ ſemper maius agit, unicuiq; hominum generi perſuadere hoc debet: Præterea Arabum fortasſis idioma utrũq; ſimul ſignificat,& lapſum,& à ſocio humore ſeparationem, quando hunc terminum huic latino uerbo correſpondentẽ exprimit uidelicet INCIDERINT uerũ ſi ita dixiſſet litera, & quum in eas ceciderint, cum ſanguinis ſeparatione in earum principio phlobotomia penitus dimittatur. ,,
Vtrũ ne omnis literæ ablata foret dubitatio? Certe nemo amplius dubitaret.Modo conſideranti apparebit,Auicennam & ita dicere, & ita uoluiſſe,primum ex ipſa rei natura, quum plurimum rationi,& etiam ſenſui ipſi reſpondeat, q; phlomotomia in uenis humores comitos extrahere facile queat,qui ſi ſecus uidelicet è uenis ſecreti fuerint ab ea extrahi nõ poterunt,ſed duntaxat non educti agitabuntur,demum eum ita uoluiſſe, & ita intendiſſe ex ipſa met conſtat litera cauſas aſignante,quum dicit,quod per phlobotomiã miſcebitur humor,ſi nanq; ponderetur,ly miſcebitur,res plana fiet,quũ hercle non miſceatur niſi,q; prius immiſtũ fuerat,quẽ ad modum ex nõ muſico,muſicus fit,ſi ergo humor actu ægritudinem faciens, per phlobotomiã inde miſcebitur,ergo idem ante eã immiſtus fuerat,ac

à ſanguine omnino ſecretus,quam ob rem ſi litera in antecedenti eius parte hoc non dicebat, in ſubſequenti ad minus in clariſſime declarat, qui autem de hac re certior fieri cupit,enumeratarum ab ægritudinum propria inſpiciat capita, ea quænam clarior eſſe poterit expoſitio? Quàm ea quæ authorem per ipſum met exponit?

Perſpicuũ igitur eſt in pleuritide ab alio humore,q̃ à ſanguine pẽdente Hip.ex ſuis fundamentis à phlobotomia incipere nõ debuiſſe,nec reuulſiua,minusq́ꝫ euacuatiua , ſed reuulſiones aliis ingeniis hoc in caſu faciendæ erant(ut dicit Briſottus)& qui cum eo conueniunt, qui ſi ita dixiſſent, reprehenſione non eſſent digni,ſed quum in omnibus hoc dixerint, merito graui nota plectendi ſunt. Probè igitur ab Hippocrate actum eſt , in huius phlobotomiæ omisſione ab initio morbi,ea ratione, qua etiam deſcendente dolore (omiſſa penitus phlobotomia) à pharmaco curationem auſpicatus eſt,quoniam huiuſmodi humorem à ſanguine alienum ſuſpicabatur,ſed in proceſſu tutius de cauſa,q̃ primi quarta dicit Auicenna,cap.xx.concedi poteſt,iccirco ita pro tempore, Hippocratem dixerim,à principio auſum non fuiſſe phlobotomiam tentare,quoniam ea ægritudo à ſanguine non pendebat,nec ab ipſo uincente,ſed ab aliis ſanè humoribus procedebat,cuius rei morbi illius prolixitas ſolidã nobis ſuggerit fidẽ,nihil igitur nobis Hip.curatio officere poteſt,quoniã ſi morbus ille à ſanguine fluẽte generabatur,improbè quidẽ feciſſet Hippo.reuulſionem omittens,& contra eum nos diſputamus.Si uero non à ſanguine cauſabatur(ut magis credimus)recte quidem fecit ab initio morbi eam relinquens.Item ſi forte ea inflammatio nec ab aliquo humorum defluxu oriebatur,ortum ſolum habens à particula,ueluti in G.ſupra diximus,de huiuſmodi morbi genere non loquimur,& ita puto tribus nobis propoſitis articulis factum fuiſſe ſatis,ex quo patet,q̃ non tam facile ſit his adductis,atq́ꝫ remotis fundamẽtis, noſtris reſpondere perſuaſionibus , ſed alia adhuc inuenire neceſſariũ erit.Supereſt modo eiuſdem doctoris quas noſtris rationibus dedit reſponſiones, quibus illas diluere ſibi perſuaſerat,radicitus nunc euellere.

Quòd ad primam igitur attinet,in qua nobis reſpondet , Auicennam in curanda pleuritide ſaphenæ ſectionem non ad ueram morbi curationem (ut nos dicebamus)ſed ad illius duntaxat præſeruationẽ eligere,hæc profecto eſt ſectæ nimiũ turpis fuga,quoniã præſeruatio duplex eſt,quædã enim eſt,morbũ antecedens, nec ei prorſus continua.De qua primi quarta,capite.xx.ſupra citato men-

tionem

tionem fecit Auicenna, quum dixit, dum iſtæ ægritudines timentur, & nondum in eas ceciderint &c. aliæ uero quæ morbo coniuncta eſt: Qui quum incipit ſi eius una pars actu eſt, alia fit, atque in generatione eſt, eam fientem huiuſmodi appellant, ut tertio art. med. eſt uidere, textu LXXIIII. Vbi triplicem Galenus ponit diſcraſiam. Quum autem in eiuſmodi ægritudine fiente, tres adinueniatur partes, duę extremis, tertia medio correſpondentes, prima intentio ad initium ſpectat, in quo tota ferè diſpoſitio futura eſt, ultima uero huic penitus contraria fini reſpondet, in quo tota facta eſt, inter hæc media eſt, in qua pars ex eà notatu digna facta eſt, pars quoque inſignis fiet, dico modo, quòd quum Auicenna loco dicto in pleuritide ſaphænam incidi iubet, ob præſeruationem, non eam ſanè intelligit, quæ a morbo ſeiungitur, illumq́ plurimum antecedit, ut ineptè nimium ſectæ gloſatores putant, Sed illam quæ a ctu ei coniungitur. Et in huiuſmodi morbi principio illam adeo remotam ſanguinis miſſionem præcipit, ut præcaueat reuellendo tantum, ſicut in fine proximam ſecat, ut tantum curet, & euacuet. In medio uero oppoſiti brachii uenam diducit, ut horum utrunque agat, futuri uidelicet præſeruationem & iam facti curationem.

Quòd ſi ita intelligatur. nullam planè in hac re cum ſecta litem habemus. Quoniam ſaphenæ ſectionem ob præſeruationem quæ cum morbo coniungitur fieri nuſquam negauimus, neque hic noſtra de nominibus inuicem contendere eſt intentio. Verum quia ſecta ut noſtrum fugiat operandi modum, de præſeruatione ante morbum intelligit, non autem de illa quæ ei coniungitur, ideo nimium grauiter errat, cuius æmuli ſi ita quoque exiſtimant, certè corrupti nimium ſunt iudicii, quòd ſi a uero ſe aliquando deuiaſſe ſenſerint, quonam pacto calumniam euitare poſſe opinabuntur? Tã perperam, tamq́ extortè Auicennæ uerba interpretantes, quũ dicat feſtina ſit phlobotomia de ſaphena conuenienti oppoſita in longitudine, cui addit MES. oppoſita etiam in latitudine, modo ante morbum, quis niſi diuinator oppoſitam hoc, uel illo eligere ſciret modo? Vult præterea Auicenna ſaphenæ phlobotomiam oppoſiti brachii uenæ ſectionẽ feſtinanter antecedere, & ultimo eã fieri quæ inconuenienti fit brachio, ita ut phlobotomiarum quidã nexus hic uideatur, tã illius quę mediam antecedit, q̃ eius quę ſubſequitur: & quũ hæc in ipſo morbo conueniant, & quæ in medio, & quæ in fine, ergo pariter & illa quæ antecedit. Et ita clarè patet ipſum loqui


de præſeruatione coniuncta morbo. Nullus nanq; dicit, reuulſionem brachii oppoſiti in præſeruatione diſiuncta à morbo conuenire, quũ ipſa in morbo duntaxat competat, quũ igitur Auicenna uelit ſaphenæ ſectionem feſtinanter hanc præire, quis niſi perfidioſus & admodum inſulſus negare poterit, reuulſiuam in ſaphena tentatam, ad eandem præſeruationem ſecundum ipſum pertinere? Qui hercle operandi modus illi curationi plurimum reſpondet quam idem author ei qui cruentum inciderit ſputum adhibet. in qua ſanè operatione à ſaphenæ (ut ſuperius uidimus) inciſione incipit, deinde ad oppoſiti brachii baſilicam, poſtremo ad eam non minus baſilicam quæ cum morbo communicat deuenit. Et nemo adhuc inuentus eſt, qui ad tanti authoris mentem, ambigat hanc ſaphenæ inciſionem in hoc adeò conformi morbo, euacuationis quidem gratia, atque iam factæ ægritudinis curationis cauſa non fieri, ſed quòd ad meram ac ſimplicem reuulſionem, quæ ad præſeruationem fit, eam ſcilicet quæ morbo annectitur, efficiatur. Quod ſi ita res ſe habet, ut pleuritis duabus curari debeat reuulſiuis, ſiue præſeruatiuis uenæ ſectionibus, quam igitur abſurdum erit, ne dũ duabus, ſed nec etiam earum una ad minus curationem tentare? Quinimmo cõtra potius in morbi principio illud idem agere, quod in fine proprie agendum fuiſſet, quæ nimirum res præter hoc quod extra omnem rationem ſit, omnibus etiam naturæ in ceſſionibus plurimum repugnat. Quum principium atque finis inuicem opponantur, & oppoſitis oppoſita etiam correſpondeant. Et quoniam inquit doctor, Hippocratem Galenumq; diſtantiſſimam phlobotomiarum naturam non ignoraſſe. Hoc certe ſibi gratis damus. Verum hoc ſaltem dico, eos in huiusmodi morbo hanc prætermittentes obdormitaſſe. Quoniam ſcire, & non facere, non ignorantis quidem eſt, ſed oſcitantis, & ita ut quilibet uidere poteſt. Ea noſtra (ſi noſtra eſt) ſoluta non eſt ratio.


Nulla ſimiliter ad aliam noſtram rationem ſua (ni fallor) eſt reſponſio. Nos enim illam ſanguinis miſſionem quæ non reuellat à principio tentandam non eſſe (cuius modi collateralis eſt) enixe probauimus. Hoc autem negat Doc. quinimmo eam reuellere contendit, quum propter eam ſanguinis translatio fiat, & ſic conſequenter de contrario in contrarium ducatur, præſertim quum contrarii inuicem ibi appareant motus. Quantum hoc inualidum ſit ex ante dictis manifeſtum eſt. Quum præter hæc differentiarum poſitionis mutatio neceſſaria ſit. Id quod in earum unica differentia, niſi


ad

ad imaginationem dici poteſt, proinde niſi imaginaria ſequi poterit concluſio, ſanè à tam reali facultate ableganda.

℄ Ad aliam quoque eius reſponſionem qua tertiæ rationi noſtræ occurrere putat. Dico non minus eam contra nos nihil ualere, in ea enim drxeramus à princiido collateralem uenam ſecandã non eſſe, quum nullo modo reuellat, cui reſpondens inquit ipſe, ꝙ ſi iſthæc non reuellit gratia exempli per A, & B, minusꝗ; per B, C, quarum ſanè combinationum utraꝗ; ſecundũ ueras poſitionis contrarietates efficitur. Ei tamen ſupereſt adhuc poſſe diuertere, per id nimirum diuerſionis genus quod in latus ducit, & quod inter illas tanquam medium reperitur. Vt in figura hic depicta inſpicitur. Puta ſignato angulo recto. A, B, C, qui recta ſecetur linea, per B, D, qui V. gratia tractus erit humoris ad latus, qui quidem tractus, & ſi per euidentiores terminos contrarios contrariis differentiis poſitionis ſigillatos diuerſionem non faciat, illam tamen per deriuationis modum inducit. Atque pro hniuſce rei maiori declaratione, unum ſibi theorema præmittit, quod apud ipſum quidem manifeſtum eſt. Videlicet quòd euacuatio ad diuerſionem genus eſt quæ utique diuerſio duas ſub ſe continet ſpecies, reuulſionem ſcilicet ac deriuationem, unde per aſſumpti quodam modo interemptionem ipſe reſpondens collateralem ſectam uenam ab initio morbi negat, non diuertere. Verum præter hoc. Quod huiuſmodi theorema nec rationi, minusꝗ; authorum dictis conſonat, nihil etiam aduerſus nos concludit & ad formales intentionalesꝗ; (quibus non indigemus) diſtinctiones impellit, utpote quod ſtante ſubiecti ideſt uenæ inciſæ idemptitate, euacuatio diuerſione & deriuatione effici poſſit, ubi contra ad hæc agenda ſubiectorum, ideſt, inciſarum uenarum diuerſitas realiter loco & tempore diſtinctarum requiratur. Quem ad modum doctiſſimus Peſſcia, qui hac in re (mea ſententia) elegantius, locupletiusꝗ; cæteris omnibus ſcripſit, tribus declarauit differentiis.







Nequaquam igitur dicendum eſt, per eandem collateralem uenam ſimul diuerſionem atque deriuationem tentari poſſe (falſiſſimum quum ſit) noſtrisꝗ; nec dum ſolutis rationibus reprobatum.

Quod autem doct. dicat euacuationem genus eſſe ad diuerſionem, quæ mox in reuulſionem & deriuationem (ut in duas ei ſubditas ſpecies diuidatur) primum quidem falſum eſt, ita nanque genus ex unica tantum conſtaret ſpecie. Quod in dialectica pro monſtrum

ſtro habitum eſt. Amplius à uero declinat non minus id quod ulterius dicit: Diuerſionem ipſam mox in reuulſionem & deriuationem tanquam in duas proprias ſibi ſubditas ſpecies diuidi (ſynonima enim ſunt) diuerſio atque reuulſio, Græci nanque diuerſionem ipſam antiſpaſim uocarunt. Qua neoterici reuulſionem dicunt. Et qui nos præceſſere diuerſionem appellarunt, per iſthæc idem prorſus ſignificantes. Id quod tum ex ipſius met Doctoris uerbis conuinci, tum & ratione, & Galeno authore, declarari poteſt. Ex eius uerbis inquam, nam dum in propoſita hac inter nos diſputatione rationes noſtras infirmare conaretur, textum illum Auicennæ in quo habet, quum ad diuerſum trahere uolueris loci dolorem prius ſeda. Ipſe ita expoſuit, ut dolor cum paracheteuſi tolli, ac mitior fieri debeat. Ex quibus dictis perſpicuum euadit, diuerſum ſiue diuerſionem, deriuationem, ſeu parocheteuſim non eſſe. Præterea nil aliud eſſet, ad diuerſum trahere, quàm ad oppoſitam differentiam currentem humorem promouere, quò fit, ut diuerſio, & reuulſio idem penitus ſint. Quum reuulſio retractio ſit ad oppoſitam differentiam. Item & idem hoc ratione probatur: Etenim ſi diuerſio ad iſta genus re uera exiſtat, per eſſentiales utique aliquas & proprias differentias ad ipſas contrahetur. Nullæ autẽ ſanè propriores (ni fallor) inueniri poſſent, his quæ penes tractum humoris ad diuerſum, ſeu ad differentiam diuerſam ſumuntur. Ex quo reuulſio ut diuerſionis ſpecies conſtitueretur, & penes eiuſdem tractum ad diuerſum, ſed in eadem tamen differentia. Quo pacto deriuationis ſpecies conficeretur. Verum quum implicet contradictionem, eandem eſſe differentiam, quæ nimirum unius eſt natura, uniusq; formæ, atque in ea diuerſum reperiri. Igitur non huiuſmodi datur ſpecies, quæ ſit diuerſio, & deriuatio, eoq; id minus quum huiuſmodi tentata actio non ſolum modo non ad diuerſum trahat, ſed quod eſt in diuerſis regionibus ad eam conuertat, ergo huiuſmodi diuerſionis ſpecies non reperitur. Sed duntaxat illa ſolum quæ per diuerſas efficitur differentias, quæ reuulſio eſt, hac quoque ualida ratione oſtendi poteſt. Nempè quando congruum mere euacuandi tempus euenerit, in quo ſanè omnis iam humorum quieuerit motus, & in loco tota comprehenſa fuerit materia, ut ſincera omnino ſine diuerſione eiuſdem loci euacuatio requiratur, quum ea ad improbos humorum motus impediendos duntaxat comperta fuerit, uenaq; tunc eiuſdem loci fortaſſis nobis non offeratur, in ea quidem quæ proximus reperietur

eiuſdem

eiuſdem met differentiæ deriuationem faciemus. Quæ quum pro-priæ euacuantis uicaria exiſtat, neque ab ea prorſus differat, niſi accidentaliter, ueluti per proximum ac remotum, quæ dubio pro-cul haud ſpeciem euariant, illa hercle magis non reuellet, quando quidem earum utraq; præter hoc quòd in eodem ſit præciſo uentre, in eadẽ etiam poſitionis differẽtia, eandem reſpicit materiam, eun-dem locum, idemq; omnino tempus expoſtulat. Quam ob rem nõ magis hæc, quàm illa diuerſiua dicenda eſt: (eius uicaria quum ſit) ſecus faciens præter principalis agentis intentionem, ineptè qui-dem nimium rem pertractaret, neque in uicariam probè electa fuiſ ſet, ergo pro conſtanti habendum eſt, collateralem uenam nullo mo-do diuertere, quum omnia quæ agit conuerſione quidem, non di-uerſione operetur. Verum ex gratia ei condonemus, in eadem ſci-licet differentia etiam diuerti poſſe, nec propter hoc tolletur, quin huiuſmodi reuulſio dici debeat, quum Galenus XIII. methodi, & in libro de ſanguinis miſſione dum de pleuritica affectione lo-quitur, in eadem differentia eam non minus fieri admittat. Ergo reuulſio hoc pacto totam diuerſionis ac ſui proprii generis naturã abſorberet. Id quod nec in dialectica, nec in prima philoſophia permiſſum eſt. Speciem ſcilicet unam in ſe totam generis naturam concipere, non enim in homine illa eadem eſt. Senſibilitas, quæ in leone reperitur quum hæc per irrationale, illa uero per rationale contrahatur. Qua ratione in genere æquiuocationes latere dixit philoſo. Vbi igitur quicquid in diuerſione eſſe contingit, totum & illud in reuulſione colligatur, authore Galeno diuerſionem in di-uerſis poſitionis differentiis, & in eadem met etiam fieri poſſe con-cedente, ſimiliter & è contra prorſus in reuulſione accidat, idem quoque diuerſionem (& reuulſionem penitus eſſe) fateri oportet. Id quod non tantum apud ipſum, ſed & apud latinos & Arabes ue-rum eſſe dignoſcitur. Proinde ſi diuerſio & reuulſio ſynonima ſint, idem quoq; referant. Igitur deriuationem non magis contineri ſub diuerſione quàm ſub reuulſione accidet. Hoc pacto autem oppoſi-tum ſub oppoſito contineretur: Quod quàm abſurdum ſit, putet unuſquiſque.

Eapropter ſe poſita uerecundia hoc doctoris theorema non ad-mittimus. Alioquin opinantes euacuationem abſolute ſumptam ad diuerſionem, ſiue reuulſionem, & ad euacuationem proprie dictam tanquam ad proprias ſibi ſubditas ſpecies, uerum eſſe genus. Di-uerſionem uero deinde ut ſubalternum genus diuidi in ſimpliciter

diuerſionem,

Euacuatio abſolute.

Diuerſio: — Euacuatio proprie.

Secũdũ qd. Simplr. — Simpliciter. Sm̃ qd.

Eius modus deriuatio quæ uicaria, non cum ea ponens in numero.

diuerſionem, & in diuerſionem ſecundum quid, ſimiliter & euacuationem ipſam proprie ſumptam, ut ſubalternum etiam genus adhuc partiri, in euacuationem propriam ſimpliciter, & in eam quæ eſt ſecundum quid. At euacuationis propriæ ſimpliciter unus eſt modus, quæ deriuatio eſt, quæ ſecum in numero non ponit, quum illius uicaria omnino ſit, neq; quis hic admiretur, quomodo euacuatio ad euacuationem ſic proprie dictam genus dici debeat. Id nanque ex nominum penuria contingit, quem ad modum in multis naturæ rebus frequenter accidere uidemus, in quibus ſpecierum nomina deſunt, ueluti apud multos frumentum generis nomine nuncupatur, puta granum: eapropter in hoc noſtro caſu non inconuenit euacuationem abſolute captam ad propriam loci euacuationem cuius Vicaria (ut dixi) eſt ipſa deriuatio genus eſſe, quæ ſi in euacuationis abſolute facultate comprænhenſa eſt, nequaquam in diuerſione contineri poteſt, alioquin idem ſub eius oppoſito contineretur. Nihil igitur Doct. contra nos concludit, inquiens deriuationẽ reuellere quia ſub diuerſione (ut ſpecies contineatur) Quoniam ne dum huiuſmodi deriuatio non diuertit, ſed eorũ qui in aliis ſunt differentiis humorum conuerſionem euacuando inducit, reliquum etiam quod deinde dicit Doct. falſum eſt, & à nobis iam ſatis reprobatum, quòd ad reuulſionem faciendam terminorum, a quo & ad quem oppoſitio, & motiuum inuicem contrarietas ſufficiat, & hoc de reſponſione doctoris ad noſtram tertiam rationem dicta ſint.

¶ Ad quartam deinde noſtram rationem Doct. reſpondere conatur quum à nobis dictum fuerit, fluentibus humoribus, authorum conſilio ab initio reuellendum eſſe. Reuulſionem uero ad diſtantisſima, & contraria fieri debere, propterea nullo modo eo tempore affecti lateris uenam ſecandam eſſe. Quum nec diſtantisſima, nec contraria ſit. Huic ipſe plura reſpondet. Primum eſt, noluiſſe ueteres medicos nos reuulſionem per diſtantisſima ſemper eligere, licet id aliquando admittant, raro tamen fieri, ſed ſatis plerunque eſſe, ſi ad mediũ gratia exempli fiat, unde fluentem ex dextra nare ſanguinem. Maiorũ nixus authoritati probè ſufficienterq; reuulſurum inquit, qui hepatis regione cucurbitulam appoſuerit, ſeu ſecũdum longitudinẽ, ſeu ſecundum latitudinem id fiat, dummodo in cauam relabatur ſanguis, è contrario ei qui prius fuerat motus, quũ ſatis ſit illi motuum contrarietati terminorum ipſorum contrarietas, ſcilicet ex quibus in quos, ſiue huiuſmodi maxime oppoſiti

ſint,

uel medio ſe habuerint modo, ueluti in pleuritide dextra per bra-chium quoque dextrum iterum in cauam retrahimus. Quòd ſi Galenus huius contrarium aliquando affirmare uideatur, ut quarto & quinto Methodi. Vbi fluentibus humoribus maxime reuellendum eſſe, maximam uero reuulſionem per diſtantisſima & contraria fieri iubet: intelligẽdus ſanè eſt, non ad abſolute diſtantisſima id fieri debere, ſed reſpectu deriuationis duntaxat. Atqui hoc in primis falſum uidetur, nam fluente a ſuperioribus membris ſanguine inter morbi initia præſertim ſi corpus plectoricum ſit & cucurbitulas, & ligaturas, & reliqua reuellentia ingenia applicare opus eſt, ut in nobili Io. Carolo Roberto mihi ſororio contigit, cui quum ſanguinis profluuium è naribus pateretur, non ſatis fuerunt phlobotomiæ nec hepati, atque ſpleni cucurbitulæ oppoſitæ, ſed & talo, & poplitibus & extrema ei ligare, multaq; alia auxilia adminiſtrare etiam neceſſarium fuit, quibus omnibus ingeniis uix tandem ſedatus illæ fuit ſanguinis motus. Quum tamen cucurbitula ſatis fuiſſe uel hepati, uel ſpleni applicita, ſi eorum alterum morbi in cauſa fuiſſet. Cæterum ubi totum corpus repletũ fuerit (ut ſupponimus) nequaquam uerum eſt, ad medium duntaxat reuulſionem ipſam tentari debere. Quinimmo ad diſtantisſima recurrendum eſt. Vnde & quæ Doct. adduxit loca de podagrico curando dolore, & comitiali morbo, quorum alterum per diſtantem brachii uenam, alterum per crurium ſectionem, quæ diſtantisſima ſunt ipſum planè redarguunt, hancq; eius tollunt reſponſionem. Præterea & illam non minus, quam paulo poſterius annectit, uidelicet quòd intelligi debeat ad remotisſima, id eſt, uerſus remotisſima, ueluti de lapide dicitur moto ad medium, id eſt, circa medium, iſta enim neq; ad ea pertinent uerba, neque noſtra remouent inſtituta. Quæ ſanè dicunt, quòd uenæ ſectionum diſtantia aut propinquitas, ex finium diuerſitate ſumenda eſt. Minus quoque ualet quod tertio Doct. dicit, uidelicet, quòd diſtantisſima reuulſio intelligenda ſit, non cum ſanguinis misſione, ſed cum illitis medicamentis, in diſtantisſimis corporis partibus applicitis, quæ ſanè reſponſio à Briſotto ortum habuit. Quam doctisſimus Peſſcia optime deſtruxit Hippocratis atque Galeni authoritate, item non eſt aliquod ꝙ ſub aliquo rationis ueſtigio adduci posſit. Si huiuſmodi fluentibus humoribus iſthæc linimenta attrahendi diuertendiq; uim habentia, diſtantibus membris applicari debent? Cur & proportionabiliter ipſo fluente ſanguine ad mammam repente & ipſe cum phlobotomia

mia

mia diſtanti ad longinqua retorqueri non debeat? Similiter & cum ſcarificationibus, & hirudinibus. Profecto nihil eſt quod me ab admiratione retrahat, quum tam inſulſa, & quæ ſenſus adeo manifeſte retundit à ſecta adduci ſentio. Apertus ſanè ille nimium eſt error qui ita facile infringitur, quum enim ex birſen ſit ſirſen. Si phlobotomia præſto ſit, ea hominem ſtatim liberat. Quod nos ſuperioribus his diebus in Adamante Hæbrea uerum eſſe experimẽto monſtrauimus. Idem & non multo poſt in illuſtrisſimo comite Marco Antonio Taurello, nam quum acuta febre detineretur & ad decimum quartum diem turgens materia ad caput permutari cœpiſſet, iusſimus ei pedis uenam incidi, quo facto inquit, ſentio me à dolore, & capitis confuſione nunc nunc abſolui. Qua forte ratione motus Doct. hic clarisſimus, quum ſibi iam dicta non ſatisfacerent, iccicò aliam annectit reſponſionem, nempè quod Galenus quum ad Hippocratis mentem, diſtantisſimam præcipit phlobotomiam, id in ſanis intellexit, in ægris uero minime ſanè ſi recte animũ animaduertimus, hic ſectam laborantem inſpiciemus, ideo tot ſibi permutat ueſtes. Perconctarer ego utique libenter ab ea, quo nã pacto, qua've ratione, huiuſmodi phlobotomia potius ægris, quàm ſanis conuenire posſit? Omisſis authorum dictis, de quibus abunde ſuperius diximus. Hoc nimirum nulla alia ex cauſa dici poteſt, præter quam ob maiorem inſanis, quàm in ægrotantibus materierum copiam, cuius ratione maius inquiritur ſpatium. Sed hoc abſurdum eſt, quando quidem ſani cum tali ac tanta non ægrotant, ſed cum qualibet maiori ergo &c. Natura enim tantam prius regere materiam ſatis erat, quæ deinde aucta non amplius ei pareret, eapropter ægritudo mox inſurgit. Item in ſanis nullus à morbo excitatus eſt materierum motus, ad aliquam corporis particulã, ob quem reuulſionis ad oppoſitum aliqua ſit necesſitas. Quæ nimirum reuulſio ad diſtantisſima, & contraria fieri debere à methodis præcipitur, ut ex eius propria conſtat diffinitione, ſi ergo nullus in ſanis, ſed in ægris excitatus fuerit motus, ergo ægris cõuenit, & non ſanis. Præterea (& hæc eſt argumentatio olim à ſecta contra nos facta) quam in eandem, & planè rationabilius retorquemus, extra enim ferè omnem rationem uidetur in corpore ſano ac plectorico cui aliqua ex plenitudine timetur. Aegritudo remotam facere ſanguinis misſionem, ea dimiſſa quæ fontem immediate exhaurit, præſertim quum nihil nos cogat, quin uenam iecorariam ſecemus, per quam omnem tollere plenitudinem liceat;

Quia

quia libere fontem euacuamus,per cuius inanitionem dubio procul, qui ab eo oriuntur riui exhauriuntur.At hoc in ægrotantibus his potisſimum qui aut pleuritide V.G. dextera laborant,aut iocinoris inflammatione tentantur,non æque conuenire poſſe rationi conſentaneum eſt, eo nanque caſu longe melius eſt per remotiſſima, ut per riuos diſtantes à fonte trahere, quando quidem hoc pacto fons ipſe impedietur, quominus ad affectam coſtam amplius transfundere posſit, in iocinoris uero apoſtemate.Idem non minus agendum eſt, corpore præſertim pleniuſcule diſpoſito ne calor in eo nimis ebulliendo materiam rarefaciat. Et ſimul cum dolore ſuccos & in riuis, & in ambitu totius exiſtẽtes ad ſe trahat,quod planè eueniet, ſi à principio in utriſque baſilicam collateralem ſecuerimus, ſic enim huiuſmodi fons per diſtractionem remotam non impeditus, quinimmo attrahẽdi in eo ratione uacui,aucto deſiderio peregrinas illas quæ maximè ſunt in remotis riuis ad ſe alliciet, id quod authorum conſilio,potisſimum cauẽdum eſſet, præſertim Hippocratis, Galeni, & Auicennæ,qui manifeſtisſimè præcipiunt non debere nos in morbis ab initio per patientia loca fluentem materiam ducere, quod quum ita ſit, quonam igitur pacto in ſanis remota eligenda potius ſunt loca, quàm in ægrotantibus? Profecto uerba hæc inania ſunt, & à nullo rationis lumine illuſtrata,id quod quilibet uel lippus uidere poteſt, quam ob rem nec hanc noſtram à Doctore ſolutam fuiſſe rationem perſpicuum eſt, quanquam (ut arbitror) præclarus hic uir,non quòd ita ſentiat, ſed ut ſectæ placita referret, & ipſe diſputationis actui non deficeret, huiuſmodi ſcrupos nobis obiecit.

Quantæ præterea & ultimæ rationi noſtræ Doct.reſpondere ſtudet, uidebat enim Hippocratem in Anaxionis curatione corripere, qui tamen ipſo authore, in eo morbo commendandus fuerat, etiam ſi periiſſet ægrotans, quando quidem in morbi ſeuitiam potius quàm in eis medendi modum prauum id referendum foret: tanquam ſanè longe rectius ſit collateralem uenam primum ſecare, quàm ad oppoſitas & diſtantes regiones (ueluti nos facimus) confugere: Ego medius fidius in hac re Hippocratis maieſtati non derogo, quum ipſum, ac illius ſectatorem Galenum medicæ huius facultatis parentes optimos religioſisſime colam: Sed pro ueritate, communi've bono aliqua animaduerſione indiguiſſe mihi uiſi ſunt. Qua ratione excuſatione aliqua quòd eos reprehenderim me aliquando dignum putaui.Quum maxime Arabum princeps Aui-

cenna dicat, excuſandum eſſe quemlibet contradictorem, quũ ueritati innititur. At quod ego ei adhaeream, nullum aliud doctori certius afferre teſtimonium poſſum, quàm ſenſum, medicorum obſeruantiam, & ipſam deniq; rationem, omnium hominum authoritatem ſuperantem, ſenſum primum, quia innumeros uiros ſenes, ac mulieres ſeptuageſimum & ultra annum agentes, hoc noſtro curandi genere probè ſanatos, huius rei teſtes proferre, licet, quod in naturæ uigorem medentiũ errata minime tollerãtis haudquaquam referre poterit, quòd uero ita à medicis ſit obſeruatum. præterea et artis methodi, ratioq; ipſa hoc pacto faciendum eſſe præcipiant, in commentario noſtro abunde adeò probauimus, ueluti ex vi. & vii. & viii. capitibus quintæ ſummæ uidere licet, ut omnino ſuperuacuum eſſe exiſtimem ea repetere. Præſertim quum difficile non ſit, ſi quis ea ſcire deſideret, ex eo noſtro commentario habere. ❧ His lectis, doctisſimus hic uir (& ut grauisſimus eſt philoſophus) qui ueritatis ſummus cuſtos, & cultor eſt, probè conſideratis, ſuam tandem ſententiam proferens in hunc modum ad nos literas dedit.

Libellum tuum Ludouice Panizza de uenæ ſectione in inflãmationibus, præſertim in pleuritide optime diu cõſideraui, ne quid in deos & homines peccarem, ut nos monuit diuinus Plato. In eo te uideo, pro tui ingenii acrimonia (quæ ſumma eſt) omnes obiectas dubitationes reieciſſe: Propoſitumq; tuum ueris rationibus erexiſſe. Itaque in tuam ſententiam manibus, pedibusq; ueniq, illamq; herbam, qua legitimi Victores coronari ſolent, tibi libenter trado (ut par eſt): Et hic ad Dei maximi optimi laudem cuius gloria ſempiterna eſt finis iam ſit.

Excellentisſimi

EXCELLENTISSIMI VINCENTII Madii philoſophiam Ferrariæ profitentis, Dubitationes ac decretum.

Am & ſi Clariſſ. hic Doctor pluribus incurſionibus per literas iam dudum nos acriter ſit aggreſſus, in quibus ſanè ipſum eadem tela crebro repetere, idemq́; nobis uulnus renouare contigit, quia tamen in iis quas poſtremo ad nos dedit, planè declarauit optimè ſe ex noſtro ad eum iampridem miſſo libro, de uenæ ſectionis modo, noſtram accepiſſe ſententiam, atque eam ſibi ualde placuiſſe: modo tres quæ adhuc reliquæ ſunt diluantur dubitationes, ueluti & complures antea à nobis ſolutæ fuerant. Quibus ſibi factum ſatis per nos fuiſſe pleno ore confeſſus eſt. Rurſus ut his etiam ſatisfiat ſingulas in primis enarrabimus: Mox illas ſingillatim diſſoluere pro uiribus enitemur. Demum ut unicuique ex ſtudioſis hoc pateat examen, tum has præſentes dubitationes, tum ad eas noſtras ſolutiones in medium adducemus, quem ad modum in huius rei inquiſitione, cum aliis etiam ſingulis iudicibus egimus. Verum prius eos omnes qui ſcripta iſthæc noſtra lecturi ſunt, præſertim quos liberali ac eleganti ingenio à natura dotatos ueritatis ſtudioſos eſſe decet exoratos uelim, ut affectibus rationis uſum perturbantibus ſemotis, æqua diligentiq́; lance pro eiuſdem ueritatis inquiſitione utrinque rationes pendeant. Ne poſthac erroribus hominum uitam concernentibus, aliqua amplius præbeatur occaſio: Prioribus igitur eius poſthabitis dubitationibus, tanquam per librum probè dilutis, ad has duntaxat ultimas difficultates ſermonem noſtrum conuertamus.

Harum autem prima eſt, inquit præclarus Doct. hic quòd quum pleuritidis quatuor adſint cauſæ, uidelicet uniuerſi corporis plenitudo, dolor, qui ſi antea ſymptoma fuerat, citra illud principium primum, eſt deinde multiplicandæ in loco materiæ cauſa, ſit & loci illius læſio calor à ſanguinis excalfacti copia, attrahens & ipſe. Poſtremo ex membri intemperie infirmitas, qua lædentis materiæ affluxum facillime in ſe ipſo membrum ſuſcipit: hæ inquam dicit ipſe, quum ſint cauſæ, non utiq́; ſibi uidetur, quòd noſter curandi modus cum uenæ quæ in pedis talo ſectione fit

in principio multum proficiat, quum ex quatuor unam tantum adimat, nempè repletionem, nam reliquæ niſi proprii loci uacuatione (eius ſententia) minime tolli poſſunt. Dolor inquam, calor atque illius membri infirmitas, nam dolentis membri euacuatio non niſi per proximam uenam fieri poteſt: minime autem per diſtantem. addit etiam Doct. Quòd ſi forte pedis uena ſecta, dolor ceſſaret, ſibi neceſſarium eſt fateri, id ea de cauſa, accidiſſe, quòd in dolenti loco uacuum ſit factum, id quod facilius, præſentiusq; ex baſilica proxima euenit, quum cordi & iocinori ueluti fontibus proxima ſit, quare totius repletionem tollit, qua adempta dolor, cæteraq; alia auferuntur. At quum uenæ pedis ſectio, ex iis unam, brachii uero uenæ ſectio omnes utique inflammationis quatuor cauſas tollat. Hic cupide uidere uoluiſſet Doct. Cur non multo melior ſit, quæ in brachio, quàm quæ in pede diducitur uena? Item quum apoſtema tunc partim factum ſit, partimq; fiat adhuc. Illa ſanè melior uidetur, quæ & factum aufert, & futurum fieri prohibet, atqui eiuſdem partis uenæ ſectio utrunque munus agit, ergo nedum magis ea quæ in pede eſt. Sed omni prorſus alia præeligenda eſt: nam & diuertit, & euacuat, quod autem à læſo loco euacuet, nemo dubitat: quod uero diuertat, inquit facillimum eſſe uidere, ire enim ſanguinem ad brachium læſæ partis, eſt ire ad alium à læſa parte locum, non ad ipſum læſum locum. Manifeſtius nanque eſt quàm ut demonſtrari oporteat, non eſſe eundem ſecti cubiti, & inflammatæ membranæ locum, ſed inter ſe plurimum differre. Addit præterea, quum inflammatio cordi propinqua admodum ſit, incidendam autem uenam eſſe locus indicet. Opportunius inquit uideri, ei quàm primum euacuatione ſuccurrere.

Altera uero eius dubitatio huiuſmodi eſt. Videtur enim ei Galeni ſententia in pleuritide curanda, à noſtra minime diſcors eſſe: quam ob rem nobis obuius factus, inquit, ſi Galenus in inflãmationis initio paucam in eius ſede, ſibiq; proximis uenis materiam eſſe opinaretur. Perinde ac nos facimus, dubio procul & ipſe uenam in pede ſecaret, quòd ea eſſet cura præſeruatiua cui auerſio debetur, quæ per remotisſima facienda eſt. At quum in plectorico corpore magna ex parte ita fieri exiſtimauerit, ut maiores primum uenæ repleantur, ab iis minores, atque eo uſque res proce-

dat

dat, donec minimæ ac capillares uenæ, quæ prius non uidebantur. Diſtendantur, moxq́ʒ appareant, quæ rurſus durante fluxione nec ceſſantibus maioribus ad ipſas continue ſanguinem tranſfundere, extra ſe in uacua membrorum ſpatia tranſmittunt, qui tum uicina calefaciens, tum premens, & aggrauans, ita demum phlegmonem efficit. Fieri inquit uix poſſe uidetur, quin inter inflammationis initia, inuenis ſaltem affecto loco proximis, materia plurima non reperiatur, quòd quum ita ſit, et enixe quidem, à nobis petit, quam uenam tunc ſecare expediat in huius principii tempore?

Tertia autem talis eſt, dixeram ego, ſanguinis miſsionem in eadem parte factam, per initia morbi ne dum non prodeſſe, ſed nocere, etiam plurimum, quonam modo inquit ipſe, quum ſit morbus per ſe ipſe periculoſisſimus pleuritis, & noceat adhuc huiuſmodi phlobotomia plurimum, maxima pleuriticorum pars non interire ſtatim. Sed ſeruari in dies conſpicitur, ſe ruatos enim eſſe ſenſus iudicat. Atque in dies id fieri uniuerſum hominum genus fatetur. Quòd ſi dixerim eos ſeruari caſu, dubitat adhuc Doct. quonam modo ex iſtis tot ſeruentur? Si id caſu eueniat, quòd ſi etiam in quibus pedis uena diducitur multi ſeruentur, & ſi caſum quis retorquere poſſet, hoc tamen inquit plurimum intereſſe, dicere nimium nocere, quòd de brachii proxima uena dicebam, & aut non prodeſſe, aut poſt tempus, quod de ea quæ in oppoſito brachio fit, dicit Galenus,

Hæ ſunt difficultates, quas poſtremo Doct. obiecit, & quibus ſatisfieri deſiderat, ſi in noſtras concedere debeat partes quemadmodũ ab initio quatuor iam fermè elapſis annis inter nos fide ſancitum fuerat: Nempe quòd ſi minus propoſitas ab eo dubitationes ſoluiſſemus, ita eius animi integritate dictante, contra nos liberè ſuam ferret ſententiam. At ubi ſecus accidiſſet, atque à nobis ita ſolutæ forent, ut nullus amplius dubitandi locus relictus eſſet, ueritati, & publico pariter bono conſulens, omni eius conſcientiæ amoto ſcrupulo, liberè nobis uoti ſui calculum daret. Quibus reſpondentes, ea ſupponimus de quibus quarta ſumma, & fuſius in iis, in quibus reſpondimus, ad Clariſsimum Buchaferr. licet uidere, ut quòd apoſtematis natura generica ſit, item quòd (uniuocum quum ſit) primo diffiniri debeat, præter hæc, quòd per primas duas differentias diſterminetur, quæ

mox duas primas conſtituant ſpecies. Quas uocauimus G. & M. poſtremo quòd quæ a nobis deinceps tractanda ſunt. De ipſo M. ſunt intelligenda: quoniam in ipſo G. conſtituti ingenuè fatemur eiuſdem lateris uenæ ſectionē principio optimè & per ſe (ut aiunt) conuenire: & in hoc nullum cum ſecta Galenica litigium habemus. Hæc nanque dolorem ipſum, prauam illam temperaturam, ac loci imbecillitatē (ſi ea fortaſſe ex alicuius humoris transfuſione acceſſerit) ipſum morbum antecedens. Et deniq; omnes ibi cauſas exiſtentes auferendo, morbum iugulat, & in hoc hercle cum Doctore nauigamus. Habita nimirum illius duntaxat humoris ratione, qui uel in loco, uel proximis ei uenis reperitur. Quando quidem ſi doloris interdum cauſa nouus quidam in corpore pleno localis inſurgeret motus, qui mox perregrinas materias ad ſe attraheret, tanti quippè is momenti eſſet, ut poſthabita tunc euacuante in eodem latere uena, quæ ut ptopria proximior've læſum reſpicit membrum, ad reuellentem remotamq; ac à dolenti loco retorquentem phlobotomiam prius tranſire opus eſſet, id quod clariſſimos & omni laude digniſſimos Patauos medicos, in hac apoſtematis ſpecie ſcilicet G. præcipere per eius literas nobis hic Doc. ſignificauit, cuius rei non parum ſum admiratus, propterea quòd preclari ii medici hoc admittant. Verum id in apoſtemate M. de quo loquimur conſentire id nolint, quis deorum hoc ſibi uetuerit, haud certe ſcio, quum reuulſio potiſſimum per ſanguinis miſſionem, ubi materia expoſtulet fluctionis cauſa adminiſtretur. Ipſi uero G. uel non conueniat, uel per accidens ſolum, quum tamen ei quod eſt M. per ſe, & eſſentialiter omnino competat, etenim ipſa met duntaxat fluxione conficitur. Hi tamen uiri clariſſimi ita libenter in G. reuulſionem hanc concedant, quam poſt modum adeò pertinaciter in M. denegent: quis negabit hoc perfidiam ſapere? ergo ſi in G. per initia conſtituti fuerimus, niſi iam dictus ſuperuenerit reſpectus, fortaſſe eiuſdem lateris uenæ ſectio probè fiet. At in contraria conſtituti ſpecie puta M. contrariis quoque ſanè legibus incedere debemus, ut nedum uenā proximam in morbi principio eligamus, ſed plurimum etiam abhorreamus. Verum ut rationi Doctoris quam tāti facit ſigillatim occurramus, ſingula omnia eius dicta (ut aiunt) uſq; ad pilum diſcutiamus.

Inquit doctor quatuor eſſe inflammationis cauſas. At niſi eius quod ab auſpicatu rei diximus obliti ſimus, hoc nimirum falſum eſſe oſtendetur. Dictum nanque eſt, apoſtematis de quo loqui-

mur

mur generationem à fluxione ortum habere, quod ſi ita eſt, igitur fluxio non tantum eſt apoſtematis cauſa ſed & doloris, & caloris, & conſequenter loci illius infirmitatis, quæ in fieri & conſeruari ab humore tranſmiſſo, & nequaquam ibi genito dependet. Generans nanque ut ex monitis philoſophi ſeptimo & octauo de phiſico auditu: ipſe Doctor iamdudum nouit, dat formam & conſequentia formam, ſicut enim in G. loci infirmitas quam hic malam nunc uoco intemperiem, alimentum corrumpens illius apoſtematis cauſa eſt, plenitudinem ibi inducens ob indebitam in proprium obiectum actionem, quare paulatim coaleſcit tumor, ac deinde dolor inſurgit, atque calor, & diſtenſio, ita in M. inflammationis cauſa fluxio eſt, quæ plenitudinem ibi apportat, & ipſa doloris ac caloris cauſa exiſtit, qui ſanè effectus ſunt. Non autem cauſæ, nec Doctori quicquam ſuffragatur, quòd in principio dolor & calor ſimptomata fuerint, quæ deinde in proceſſu cauſæ efficiuntur, quum noſtra de principio manifeſto propriè exiſtat contentio, cuius ſanè omnium conſenſu cauſa fluxio eſt, quæ plenitudinem, dolorem & calorem affert, quando quidem in hac ſpecie M. ab ea quæ ante dolorem præerat, loci plenitudine apoſtema fieri non fateamur. Sed ab ea duntaxat quæ fluxione ipſi acquiritur loco. Præterea quo ad quartam ab eo aſſignatam cauſam attinet, quam loci infirmitatem appellat, ab eo percunctandum fuiſſet, quid nam ſit huiuſmodi loci infirmitas? Quæ iſtius morbi cauſa eſt. Nam uel mala quædam cōplexio eſt, ab humore currente genita, quæ eius proprio charactere partem læſam ſigillat? Vel eſt aliqua loci præexiſtens plenitudo, quæ in cauſa eſt, ut iſthæc particula magis recipiat, quàm illa, primum ſanè dicendum non eſt, mala enim intemperies cauſa non eſt: ſed effectus potius à fluxione genitus, alterum etiam minus dici poteſt, quoniam plenitudo nulli eſt cauſa recipiendi, quum plenum, qua plenum, quicquam in ſe non admittat (ut dicit Galenus) quin potius ſi aliqua præcedens adſit diſpoſitio (quę ad facilem receptionem facere poſſit, ea utique ad partium raritatem, laxitatemq́; magis pertinere uidetur. Quum pleno uacuitas, ſicut uacuo, plenitudo proportione reſpondeat, ſi quidem contrarium ex contrario efficitur, ueluti muſicus, ex non muſico, ut phiſicorum primo dixit philoſophus, quod ſi raritatis, laxitatisq́; ratione loci imbecillitas accidat, nulli non manifeſtum eſt, hanc iſtius modi cauſam eſſe, quæ per nullam illius loci ſanguinis miſſionem tolli poſſit, quum laxius, rarius've ſemper hoc pacto reddatur membrum,

brum, ſi igitur (ut iam ſarcinulas coligamus) ipſum M. à fluxione pendeat (ut certe manifeſtum eſt) quomodo phlobotomia in ea parte facta, morbum huiuſce naturæ tollet? Quum uacui ratione uerſus illum locum plenitudinem trahat, & alliciat, & conſequenter dolorem maiorem, diſtenſionem've inducat, & augeat, uoluiſſem ut doctor hic mihi declaraſſet, quomodo fluēte humore ab uniuerſo corpore, ad coſtam puta dextram facta inanitione, in eadem regionis illius differentia, talis fluxio auferatur? Sicut contra, in regione oppoſita facta, huiuſmodi ſanguinis miſsione, ipſa protinus tollitur, nam ſi per eam fluxio ceſſaret, clariſsimum quippe foret, omnia ea radicitus auferri quæ à fluxione, ueluti effectus à propria cauſa dependent, Verum quum hoc non declarauerit, minusq; poſsibile ſit, quando quidem phlobotomia in eadem parte facta fluxionem auget, ergo nedum ea adeo proxima tollet illa quatuor, ſed etiam plurimum augebit, & loco ſanitatis mortem inducet. Patet igitur quo pacto Doctor in primis falſum adducit, inquiens quatuor eſſe cauſas quas phlobotomia in eadem parte facta à principio tollere poſsit, nam & ſi hoc forte efficere in G. ualeat, nequaquam in M. facere poterit, quum oppoſitorum oppoſitæ ſint cauſæ, rationes, proprietates, & pariter ſui curandi modi. Falſum non minus eſt, & illud pedis uenam ſectam nihil hunc coſtalem morbum iuuare, præter enim hoc, quòd ſenſus huic aperte reluctatur, quū multos eam ſolam curare pluries inſpexerimus. Vt in primo dixeram libro. De illuſtriſsima Domina Antonia Baucia Gonzaga, cui ea ſoſatis fuit, & innumeri etiam alii Aegrotantes hoc medendi genere ſanitatem perfecte ſint adepti, præter id etiam quòd tam grauiſſimi authores quales fuere Auicenna & Meſues, & pleriq; alii inſignes eam cōmēdent, à quibus poſt habita Galeni norma, per tot tempora hic curandi uſus inualuit. Eſt non minus contra id noſtra non aſpernenda iam adducta ratio, quæ ipſam non parum uel inuitum cogit fateri: Eſt autem ea ratio à finibus phlobotomiarum ſumpta, quorum ſanè finium primus eſt reuellendi tantum, quòd non per proximam fit uenam, ſed per diſtantiſsimam, qualis ea eſt, quæ in pede eſt, quæ profecto euacuandi humorem munus non habet, ſcilicet in loco contentum: ſecundus eſt reuellendi ſimulq; euacuandi. Vltimus euacuandi duntaxat in fine motus. Quum reuellendi omnis penitus exoleuit intentio. Modo nullus (niſi inſanus) unquam dubitabit. Quòd finis principio proportione reſpondeat: Quam ob rem ſicut ipſius ratione omnino euacuandum eſt, nulloq; modo

modo

modo reuellendum ſit, idq́ per proxima ac prorſus omni contrarietate remota agendum eſt, contra æque in principio penitus eſt reuellendum ſine ulla proprii loci euacuatione, idq́ per diſtantisſimam & quæ etiam omnem (ſi expediat) contrarietatem posſideat, faciendum eſt: Quum re uera in fine in apoſtematis ſede uniuerſus humor collectus ſit, qui medicum prouocat ad eius euacuationem. Contra uero in principio, aut nihil, aut parum certè illius in inflammationis loco continetur. Quo fit ut ne dum medicum ad ſui euacuationem non ſolicitet, ſed nequaquam ad hoc ipſum moueat. Modicam autem eſſe circa principium in dolenti loco noxii humoris portionem, infra dum ſecundæ dubitationis diſſolutio adducetur, oſtendemus: id autem in præſentia ſupponatur tanquam inferius probandum. Verum & ſi modica eo tempore in loco eſt confertisſima, tamen in diſtantibus remotisq́ locis reperitur. Ad quam adeò proximè accedit quæ in pede ſecatur uena, ſicut ab inflammationis ſede elongatur. Vt quinta ſumma capite VI. declarauimus. Quum igitur quæ iam fluxit materia procul dubio modica ſit. Quæ autem fluxura eſt adhuc q̃ ſaphenę ſectio attingit multa exiſtat: quis huius ſectionis munus opportunum fœlicisſimumq́ eſſe non fatebitur? Quod fluxionẽ prohibet, & (ut ſequens eſt) morbum optime iugulat, neque modicum illud, quòd à principio ad apoſtematis locum defluxit, curationi huic noſtræ aduerſatur, quoniam ipſa ceſſante fluxione, calor, atque particulæ uigor, ei à natura inſitus (ut tertio de facultatibus naturalibus dicit Galenus) non amplius ab huiuſmodi fluxione obſeſſus, illud ſanè modicum exterminabit, ac reſoluet: Atque hoc pacto hoc conſequens quod ſibi doctor tam male imaginari poterat, iure ac perbellè ſequetur, nempè quòd ſi facta ſaphenæ ſectione dolor, calorq́ ceſſent, fateri inquit oporteat, eo loci uacuum factum fuiſſe: Eſt nanque illud uerum, ſcilicet ibi uacuum effectum eſſe, ſed non à ſaphenæ phlobotomia immediate, ſed à uirtute propria dolentis membri, ac eius calore tanquam ab efficiente proximo, atque à phlobotomia illa (ut à remouẽte prohibens). Vnde patet quàm rectè quàm conſulto huiuſmodi diſtans phlobotomia ab initio morbi adminiſtretur, proxima uero euitetur, quam alioquin meliorem, magis've expeditam eſſe iſti contendunt. Obſtupeſco quidem quum uideam hos ita pręclaros uiros & rationi & methodis & ſenſui reluctari, ſolisq́ (ut dicit Auenzoar) adhærere cauillis: Vereor ne hoc à ſuperis ad hu-

manum

manum reſecandum genus euenerit, qua etiam ratione hac tempeſtate tot nobis ingruunt mala, nullius etiam momenti ſunt, ea duo quæ poſtremo ponit Doctor. Primum, quod quum in morbi principio materia partim fluxa ſit, partimq́ꝫ fluxura, ſequens eſt, ut illa phlobotomia conuenientior ſit, quæ factum aufert, & futurum prohibet, hoc autem facit, dicit ipſe, eiuſdem brachii uena. Non autem quæ in pede eſt, ergo &c. Hæc multipliciter peccat ratio: Primum aſſumit, quod non debuiſſet, nimirum quòd in principio materia fluxa ſit, nam re uera tunc in ea proportione reperitur (ut ſæpius diximus) quæ medici mentem ad ſe mouere non ſit ſatis, ſicut & uerſus finem fluxura, uel nulla, uel modica exiſtit: ſunt nanqꝫ duo tempora in quibus dici poteſt materiam partim fluxam eſſe, & partim fluxuram, principium uidelicet & augumentum, differunt uero, quia in augumenti tempore, materia utique medio ſe habet modo, quum utraque pars tam fluxa, quàm fluxura inſignis ſit, & ideo ei probè phlobotomia quæ partim reuellat, & partim euacuet coaptatur, ſed quum in principio ferè nihil ſit, uel admodum parum quod affluit, tunc nulla prorſus euacuationis habenda eſt ratio. Quòd ſi quis pertinaciter contenderit etiam illud modicum adhuc euacuandum fore, tunc igitur ad minus legitima opportunaq́ꝫ eligenda foret uena, quæ modicum quidem euacuaret, ſed plurimum ad reuellendum idonea eſſet. At contra ſic fit, quum ea eligitur quæ ad euacuandum maxime prompta eſt, & parum aut rectius nihil ad reuellendum. Cuiuſmodi eſt quæ in collaterali eſt ſita brachio, quæ tanto deterius tentatur, quanto ex ſecta aliqui, ex quorum numero eſt is Doct. in principio ſtatim copioſam eligunt phlobotomiam euacuatiuam, ubi contra multum & ſapientius quidem reuellendum fuiſſet. Et parum aut nihil euacuandum. Eſt & falſum quod huiuſmodi proxima ac collateralis uena reuellat, qua in re non parum admirationis mihi affert Doct. Quum meis ſuper hoc adductis rationibus probantibus in eadem poſitionis differentia, reuelli non poſſe, non dũ ſolutis toties in hoc recidiuã faciat, hic aũt eas prætereo, breuẽ quandã duntaxat in præſentia adducens, ubi.n. coſta circa mammã dexterã inflammata ſit, baſilica uero dextra ſecetur, profecto ſic non trahitur à ſurſum in deorſum, nec è contra, niſi ſtolidorum more id fieri dicamus, brachium eleuando, aut deprimendo: Quæ nimirum in tam nobili arte dicenda non ſunt, minusq́ꝫ de dextro ad leuum, nec de anterioribus ad poſteriora, aut è contra, quum autem

alioquin

alioquin reuellere non contingat, per Hippocratis diffinitionem, cui Galenus, & Auicenna ac tota deniq; medicorum ſchola ſubſcripſit, ergo nulla hic penitus fit reuulſio. Probamus enim ab omnium inferiorum deſtructione, ad ſuperioris remotionem (ut dialecticorum utamur uerbis) Doctor tamen Galenum defendens, quandam hic adducit rationem, cui plurimum adhæret, ut hanc in eodem brachio factam phlobotomiam reuellere probet, inquit enim ſanguinem ire ad brachium, non eſt ire ad partem læſam, igitur iſta eſt ſanguinis reuulſio.

In primis Doctor hic inter ipſius motus protractionem & eiuſmet reuulſionem non diſtinguit quum prima ad attractionem ſecunda uero ad reuulſionem uerè faciat, demum illa non eſt reuulſio, ſi reuulſionis diffinitio differentiarum mutationem includit, ut paulò ſuperius diximus, quæ hic non apparet, præterea ipſe ad Galeni mentem loqui intendit, quum tamen Galenus ſibi plurimum aduerſetur, quando methodi v. dicit: deriuatio ad uicina fit, quum id quod per palatum euacuatur, per nares tranfertur, reuulſio uero fit quum ad inferiora reuellitur. Separat ergo Galenus reuulſionem à deriuatione per ſolam poſitionis differentiæ mutationem minime autem perire materiam ad alium recipiētem locum, ergo Doctor præter hoc quòd non loquitur ad Galeni mētem, rationi etiā conſentanea non adducit. Itaque eius ratio qua nobis aduerſatur, quia falſa aſſumit, ac infirmæ adhæret rationi, & à Galeno quem tueri intendit, deuiat, contra nos nullius prorſus eſt ponderis. Minus quoque id ualet quod in calce huius primæ dubitationis ſubiungit, uidelicet quòd loci dignitas non parum operi medico conducit, cui reſpondens dico, membri ægrotantis nobilitatem non indicare niſi quòd quamocisſime ſummoq; ſtudio ei ſuccurratur, non quòd præpoſtere aut contra methodos agendum ſit, ſed ea ſanè diligentia adhibenda eſt ut fluens humor à principio ad contrariam remotisſimamq; regionem trahatur: Quò fit ut ſiue illud cor fuerit, ſiue hepar, ſiue cerebrum, quod inflammatione laboret, in morbi principio per pedis uenæ ſectionem confeſtim uiuetur, quòd ſi in his quæ maximè diſtant, uerum eſt, multo etiam id magis uicinis eis laborantibus partibus eueniet: Quare Doctor quanquam ſummus philoſophus eſt, in iis tamen (eius pace dixerim) decipitur, nam quæ illum mouit cauſa ad oppoſitum potius, quàm ad propoſitum conducit.

Conſimiliter

Conſimiliter in eius ſecunda principali ambiguitatate non minus aberrare uidetur. Quando inquit, me cum Galeno in radice nequaquam diſſentire, quum re uera hoc falſum ſit, quinimmo utriuſque noſtrum dicta in multis inuicem repugnent, ac aperte opponantur, & quid nam euidentius eſſe poteſt? Quòd noſtrum curationis modum Galenus ponit, & eum mox reprobat: Nos uero illum, ut ueriorem, tutioremve, & methodis, ab Hippocrate & deinde ab ipſo met admiſſis conſentaneum tuemur, qua ratione quum ab eis tam inſtrenue deflexerit, quantum laudis in hoc demum ſibi comparauerit, facile eſt uidere, ab iis maxime qui affectibus non laborant. At nec illud admittendum eſt Doctoris dictum. Nempè quòd ea quæ inter nos eſt diſcordia à mera ſuppoſiti duntaxat diuerſitate pendeat. Quum ipſe falſum, & implicans (ni fallor) proferat, inquiens, in morbi principio multam in loco, aut ſaltem circa locum adeſſe materiam, ſic nanque principium utique non eſſet, in hoc enim (ut dictum iam eſt) apoſtematis genere M. uocato temporis partes à tranſlationis motus partibus uerè ſumuntur, ſicut è diuerſo in G. ab alterationis motus partibus, temporis illius partes colliguntur. Verum in ipſo M. duo utique exiſtere aperte uidemus, ipſius ſcilicet materiam ſubiectam primum, demum eiuſdem met uariationem, quæ adhuc multiplex eſt, quum ad localem una, altera uero ad alterationis motum pertineat, quæ ſanè mutationes quum earum neutra inſtantaneam naturam aſſequuta fuerit, partes diuerſas neceſſario habet, quas diuerſa quoque tempora conſequuntur. Enimuero & in his temporibus diuerſis difformia contingunt accidentia, quæ mox diſſimilia expoſtulant auxilia, hac de cauſa medici inſignes, accidentiũ tempora ab iis quæ penes materiæ coctionem attenduntur, ſeiunxere. Verum quæ materiæ morbi coctionem inſequuntur huiuſmodi ægritudini, ipſi certo quodam pacto eſſentialiter inſunt. Iccirco probè iſthæc quidem eam diiudicant, id quod de illis hercle ſimptomatibus quæ accidentium tempora concomitantur fatendum non eſt, utpote quæ omnino extra ipſius ſubſtantiam atq; deforis uenientia ſint. Quandoquidem accidentale quoddam ipſi materiæ coquendæ potius inſequantur, cuiuſmodi eſt tranſlationis motus, qui licet eſſentialis ſit ipſi M. quũ fluxione fiat, materiæ tamen digerendæ accidere uidetur, eiuſdẽ quoq; ſunt naturæ uermes, aut aliquam uentriculi repletionem inſequuntur affectus, qui etiam alicui alteri morbo coniunguntur, ſolentq; timoroſa quando præter

ægri

ægri interitum per initia morbi accidentia commouere, quanuis ar tis principes ut Auicenna quarti libri Fen, ſecunda dicat, quum ac cidentia in morbi principio apparent timoroſa, ægrotantis quippè mortem ſignificant, quod nimirum mihi nunc perſuadeo, intelligen dum fore, non de iis, quæ accidentaliter inſunt, ſed de iis, quæ ma⸗ teriæ coctionem omnino conſequuntur. Hæc illa uerè ſunt, quæ morbum uindicant, non autem quæ ut accidentia per accidens exi ſtunt. Quanuis & ipſa ſeuitiam in ſe plurimam oſtendant, ſicut in principe Ludouico Illuſtrisſimi Ducis noſtri Franciſci Gonzagæ fratre nuper uidere nobis contigit, qui mortalibus per initia mor⸗ bi apparētibus ſignis, ſaluatus eſt, diutino tamen adhuc perſeueran te morbo, quòd ſi alterius ſint naturæ ſimptomata, raro ægrotan⸗ tes ab huiuſmodi morbo ſe expedire poſſunt, & illis planè propor⸗ tione reſpondent accidentibus, de quibus aphoriſmorum II. dicit Hippocrates, quum in morbi declinatione per ſomnum labo rantibus contingunt accidentia, ab eis raro, et non niſi cum magno uitæ diſcrimine patientes abſolui poſſunt: Sed ad noſtrum inſtitu⸗ tum modo redeamus. Vbi igitur morbi tempora alterationis mo⸗ tum inſequuntur ſanè ſecundum eorum diuerſitatem diuerſa quoq; a medico fieri expoſtulant, nam in principio ubi multa forte (me⸗ dici ſententia) in ambitu totius extiterit materia, ipſius uirtutis robur plurimum excedens, eius minorationem fieri ab initio exigit id tempus, iuxta illud Hippocratis, in principiis ſi quid uidetur mo uendum moue &c. Quicquid zurmatores iſti hanc à fundamētis ar⸗ tem deſtruentes fabulentur, demum ea minor effecta, reliquum de⸗ inde ita præparandum, ac probè coqueudum eſt, ut pugnæ acceden te hora, id natura, aut ars prompte expellere posſit, præparatur au tem id proprie in augumenti tempore, in quo etiam meatus qui im pacti prius fuerant detergentur, atque aperientur, & quæ ſumma ei inerat qualitas, inter ea diſcutitur, in ſtatu uero ipſo acri iam inchoata pugna nimirum quieſcendum eſt, ne fortasſis à ſuo natura auerteretur munere. Propterea eò loci, idem dicit Author. Silen⸗ tium habere melius eſt, quòd ſi natura materiam & uincit, & expel⸗ lit, eam ſic probè agentem eiuſdem ſenis conſilio dimittere debe⸗ mus: Quum dicat, ea quorum criſis fit, aut facta eſt, non mouere ſed ſinere &c. Quod ſanè illi generali admodum præcepto ſecundi epidimiarum reſpondet, quod in hunc habet modum, natura non eget medicaminis auxilio, niſi quum aucto morbo, ei dominari ne quierit. Verum in uigoris tempore ea ſub nimia mole materiæ ob⸗

ſeſſa, atque ideo uel non agente uel diminute, medicus poſt eam in proxima ſuccedente hora, & mouere, & perficere tenetur (ſi idoneus opportunus've adiutor dici debeat.) Poſtremo cum contrariis adſtringentibus laxata membra conſolari & ad propria temperamenta reſtituere tenetur. Et hæc nimirum ad ea pertinent tempora, quæ alterationis motum inſequuntur. Quæ uero localem concomitantur motum, alias planè reſpiciunt medici intentiones, quibus quoque ab iis diuerſa correſpondent auxilia, in principio enim potiſsimum inſurgit fluxio, in quo temporis manifeſto ſpatio, quia modica (ut uidebimus) affluxit materia, illi profecto ſimplex correſpondet reuulſio. In medio uero huius localis motus, quòd tempori augumenti reſpondeat, quum tunc inſignis portio ſit quæ fluxit, nec obſcura quæ fluxura adhuc ſupereſt, illa correſpondet intentio, quæ & reuellere, ſimulq́; euacuare intendit. In fine uero ipſius motus, quum eius declinatio iam ſit, quando ſcilicet uel nihil amplius, uel exiguum adeò fluit, ut ſenſu imperceptibile ſit, quum tota uel fermè tota ad dolentem locum confluxerit, nihilq́; amplius medico ſuperſit, niſi ut ab apoſtematis ſede euacuet, omni prorſus relicta reuulſionis ratione, iccirco tunc euacuationis ſimpliciter ſola iuget intentio.

Modo tam in G. quam in M. ita temporibus diſtinctis dico iam apertisſima ratione conſtare in ipſo M. quò ad eius manifeſtisſimum principium multam nec in loco dolenti extare materiam nec in uicinis partibus, huius autem rei alias hanc adduximus rationem nam tota in toto tempore colligitur materia, in eius medio dimidia, ergo in eius principio minor dimidio erit, quæ pars & toti, & ipſi medio relata, parua utique dicenda erit. Oritur nanque tota huius humoris collectio, a proportione motoris ad mobile, qui ſufficit totum mouère in toto hoc ſignato tempore, & in nullo minori, in medio medium, id quod ex regulis vii. phyſicorum clarè oſtenditur, igitur ſuppoſito quod in M. conſtituti ſimus, & ſit eius principium, illius uero repletio à totius tranſmisſione pendeat. Id quod in principio tranſmiſſum eſt, neceſſario modicum eſt, non ſufficiens medici mentem ad ipſum mouere, miror quod non ſomnians ſecus putet: Ne dum homo qui per philoſophiam (ut ipſe eſt) eruditus ſit, quum maxime principii iſthæc ſit natura, ſi Hippocratis uerbis attenderimus, qui dicit circa principia omnia imbecillia exiſtere, in his potiſsimum quæ ſucceſsione ſuam acquirunt eſſentiam, neque hoc magis de apoſtematis loco, quam de ſibi pro-

ximis

ximis partibus concludit, quum una eademq́ proportione ſibi inuicem reſpōdeant, ex quo materia iſthæc tota a totius uniuerſi trāſmittentis repletione dependet, hoc autem dicimus, ut illam uniuerſæ ſectæ inſulſam euitemus fugam: Quæ dicit, modicum materiæ in principio reperiri in loco, ſed in circunſtantibus uenis multam exiſtere, quum tam hæc quam illa ab alienis partibus ueniat, & ab eadem proportione uirtutis mouentis mittatur. Quam rem nos à priori ratione alibi facta monſtrauimus, quam & hic nacta occaſione adhuc repetere uolumus, ſupponatur autem E, eſſe apoſtematis locum, partes uero ei uicinas D, remotas C, Remotisſimas autem A & B, modo a & b, Grauatæ partes quum ſint, ſint præterea & animatæ quibus inſitū eſt ut noxium à ſe expellant, & ad aliena ſed ad uicina primum protrudant: Item quum (ut alibi diximus) totum corpus conſpirabile ſit, atque ſit ueluti ciuitas optime gubernata, in qua uno læſo ciue uniuerſa ad illius opem ferendam inſurgit. Quam primum itaque in corpore uel altera uel utraq; dictarum modo cauſarum aderit, A & B ad C proximum ſibi locum mittent. Igitur qua ratione A & B mittunt ad C, eadem non minus & C, mittet ad D, Proinde quum & D, non minus ſit animatum, inſitq; ei a natura ut noxium a ſe expellat, & præterea uicinum locum iam læſum adiuuet, ipſum quoque in ſe tranſmiſſum humorem non retinebit, ſed continuo ad ipſum E protrudet: Quare mittentibus primis naturaliter ad D credendum non eſt, multam eſſe in eo retentam materiam, modicam uero duntaxat in E contineri, ſic nanque eſſet naturæ actiones omnino ſuſpendere: Quamob rem purum hoc eſt inſomnium quod tamen toti ſectæ hominum capita tentauit, & non alia quidem ex cauſa, niſi ut rationum noſtrarum uires effugiant. Eſt deinde & ratio a poſteriori facta, nempè quòd in principio apoſtematum fluxione genitorum cum frigidis & ſtipticis repercutiendum ſit. At repercusſio non fit niſi ad uicina, & uacua, igitur tam in loco quam in uicinis uenis modica utique eo tempore continetur materia, ſunt & illuſtrium medicorum authoritates qui in morbi huius principio lentibus & aceto & huiuſmodi infrigidantibus & aſtringentibus utuntur: Qui curationis modus riſum aliquibus mouit, quum tamen in inflammationibus ferè uniuerſis his præſertim quæ fluxione gignuntur, conueniat, id quod nobis quotidianus oſtendit uſus:

Demum eſt illa famoſa Galeni authoritas xiii.methodi. Vbi de inflammatione iocinoris uerba faciens inquit, parum eſt quod affluit in principio. Quam ob rem & tunc frigidis, & ſtipticis utendum eſſe uult, ut multitudinem & a loco, & a partibus uicinis manifeſte prohibere uideatur, ex quibus omnibus falſum eſſe apparet, multam in principio ipſius M in inflammato loco, aut proximis uenis materiam contineri. Nam qui hoc pertinaciter contendit ſui contradictionem expreſſe incurrit, nimirum quod in principio multa ſit, & quod non ſit, quòd ſi res ita ſe habet, uidelicet quòd humor qui in inflammato membro continetur, inter initia modicus ſit. Tunc per nos intrepide dici poterit, illius ſillogiſmi minorem propoſitionem ſolide probatam fuiſſe, cuius alioquin maiorem Doctor per ſe ſuppoſuerat. Nam talis erat eius ratio, ſi in principio inflammationis materia modica eſt, & Galenus ita eſt opinatus, ſanè non a phlobotomia proxima, & collaterali, ſed ab oppoſita, & remotisſima inchoandum eſt. Cui nos in hunc modum minorem ſubſumentes addimus, ſed dubio procul (ut probauimus) in principio inflammationis M modica eſt, ergo non a phlobotomia eiuſdem collateralis baſilicæ ſed à remotisſima eſt incipiendum. Quam ob rem illam quam a Doctore ſperabamus ſententiam perſpicue aſſequuti ſumus. Ea præciſe uia, qua & a clarisſimo Vrbino iampridem eodem modo dicente, obtinuimus: Nihil enim aliud ab iis egregiis uiris deſiderabamus, quam ut per initia morbi proximam prohiberemus phlobotomiam, & eius loco remotisſimam introduceremus, quòd ſi ex Galeno, propter eius inconſtantiam, huius oppoſitum aliquando habeatur, culpa in ipſum reiicienda eſt. Verum ut ad Doctorem redeam, dico me cum Galeno in ſuppoſito conuenire non poſſe, quum caſum imposſibilem adducat, fieri enim non poteſt, ut morbus fluxione gignatur, ac in eius principio multa in inflammationis loco aut ei uicinis uenis materia contineatur. At qui ſi ad posſibilitatem res etiam duceretur, nempè ſuppoſito quod poſt principium multa ſit materia, nec adhuc cum Galeno ſentirem ubi ſcilicet inſignis adhuc fluxura ſupereſſet, ueluti in eo caſu euenit, quē in primo cōmentario notauimus, de Illuſt. D. Antonia Baucia Gonz. quæ in die quarta & pedis uenæ ſectione à morbo liberata fuit, id quod Clar. Franc. Patauus in eis commentario teſtatus eſt. Qui ſanè probatisſimus, locupletisſimusq; teſtis eſt, quū

præſertim

præſertim eius cognomento, bona fides appelletur, Inde ſumpto ueluti augurali quodam ſigno, non ſecus ac ſi loquente aliquo alter ſternutauerit de illius dictis ueritate augurale quoddam ſignum confeſtim colligere ſolemus: referente philoſopho in de animalium partibus cōmentario, inquit enim prædictus is Doct. duas pleuritide affectas mulieres cum menſium ſuppresſione ſectis ſaphenis, poſt ſeptimam etiam diem fœliciter curaſſe, quare Doct. dicens me ita etiam facturum, ubi multam in loco putarem adeſſe materiam, fallitur, & de me nimis ſibi ſumit, ego vero ſtante etiam num fluxione oppoſiti brachii uenam ſecarem, propterea quòd reuellat, & euacuet, atque hoc ſanius, ac maturam magis conſilium eſſe arbitror. Manifeſtum igitur eſt Doctorem in hac eius etiam ſecunda dubitatione, nihil contra nos habuiſſe, quo minus nobis ſubſcribere debeat. Ad id poſtremo quod tertio dixit loco, uidelicet quòd ii qui pleuritide afficiuntur, ſi Galeni more curentur, magna ex parte ſanantur. Ego in primis dico, ſanari & non ſanari actu in utraque plane reperiri uia, uerum hæc de iis ſunt quæ (ut aiunt) accidentia per accidens uocantur, de quibus nec ſcientiæ, nec artes conſiderant. At ſanabilitas, eiusq; oppoſitum à nobis duntaxat conſiderantur, hæc autem non niſi per artis Metho. haberi poſſunt, igitur ſanitas quæ ſanabilitatem conſequitur, medicis artis præcepta ſeruantibus iure tribuenda erit: Si uero eius oppoſitum uidelicet interitus ſubſequatur, illis nequaquam ſine mendatio aſcribi poteſt: quum morbi cauſa id accidiſſe potius opinādum ſit, ſanitas autem quā Galeni ſectatores artis præcepta non obſeruantes aſſequūtur, ſanabilitatem quippe non inſequitur, quò fit ut eis aſcribenda non ſit, ſed culpa neruis, ſi mors adueniat. Atqui quod dicit, ſi hic morbus adeo periculoſus, non minus quàm hic etiam Galeni curandi modus minime congruus ſit, cur tot igitur ſanantur homines? Hoc primum negamus poſitum, tanquam id quod nec rationi, nec experimento correſpondeat. Rationi inquam illi, quam in huius præſentis libri calce poſuimus: quum diximus, quod eiuſdem lateris ſanguinis misſio in principio nullo fieri posſit modo, nimirum ob id, quod Gallenica ſecta in duas diuiſa ſit partes, quædam enim parcam fieri iubet phlobotomiam, alia uero copioſam. Sed earum neutrum congruè effici poteſt, ergo ea prorſus non tentāda eſt. Huius probationē ibi uidendam relinquo: uerū quia clariss. hic Doct. copioſe magis adhæret, præter hoc quòd huiuſmodi phlobotomia

homines in acus cuſpide imponat. Plerũq; etiam ea ſanitatem non reſtituit, nam & ſi aliquos ſaluatos ſenſus oſtendat. Veluti ebrios quoſdã iuuenes, ac robuſtos, id profecto per caſum fuiſſe dicimus, quum nec ratione dictante, minusq; methodis ſuadentibus ſucceſſe rit, & conſequenter ei ſic curanti non credẽdum eſſe Metho. ix. dicit Galenus, quem caſum illos nullus ſanè in nos retorquere poteſt, ſi nanque ſenſus aliquos a ſecta curari oſtendat, idem quoq; ſenſus digito in numeros non ſanari demonſtrat, ſi potisſimũ Reuerendo ſacerdoti Heremitano, fratri Michaeli à Caſtelletto nũcupato, fidẽ adhibere uoluerimus: Qui corã grauisſimis auditoribus hęc habuit uerba: quod quum eius ſacri ordinis Gremonæ Annuam pręfecturam gereret. xiii. religioſi uiri (proh nephas) Galeni more curati uitam cum morte commutarunt, id quod quadraginta fermè annorum ſpatio quo noſter hic medẽdi modus inualuit, in hac generoſa urbe noſtra, per deos ĩmortales mihi uidere non licuit ſanè qui magnum hoc infortunium aut taliũ medicorum manus (ut rectius dicam) aufugere potuerunt, ii admodũ pauci extitere. Quãuis iis præſtigiatis hominibus curatus unus mille uideatur, & ii dũtaxat fuere, qui tum iuuenes ſanguinei multo robore uigentes erant, tum diis immortalibus plurimum amici, quorum pauci noſtra hac tempeſtate reperiuntur. At ii nimirum reliquo hominum generi comparati, nihil prorſus eſſe uidentur. Adſunt enim pueri quibus ne dum ſuperfluæ huic phlobotomię conceſſa non eſt licẽtia, ſed illos ei admouere uix permiſſum eſt. Sunt & ſenio cõfecti, qui prioribus proportione reſpondent, ſunt & natura imbecilles, ut qui melancolico aut pituitoſo conſtat habitu. Adſunt qui tenui utũtur uictu, per cuius uariationem hunc incurrunt morbũ. Adſunt qui longos perpeſſi fuerunt morbos, quibus omnibus ſi illi robuſti homines & deorũ amici cõparentur, perinde erunt ac in linea punctus. Quum ergo is curãdi modus, iuxta maiorũ ſectæ ritus, nõ niſi per copioſam phlobotomiam fieri posſit, hæc uero non niſi in paucis tentari liceat, itẽ quũ ex iis robuſtis non omnes primũ ſeruentur, ſeruati quippè erũt minima hominum pars, quòd ſi res ſic ſe habet: Prę̨ter hoc ꝙ ſaluati, à fortuna, curati fuiſſe uidentur, quæ nam quæſo hæc erit curãdi norma? Quæ non niſi fortes, ac robore ualentes curare posſit? qui ſi adhuc ſanantur, incertum eſt, an naturæ potius ſtrenuitate æque in medicum ac in morbum pugnantis, an medicę artis prę̨ſidio euenerit, contra uero quũ noſter curãdi modus uniuerſum hominũ genus
tam

tam imbecillium quàm robore ualentium tueatur, quis eum uerum, rectum, ac deniq; beatum non prædicabit? Hoc nimirum meden di genere Illuſtrem Vrſinam Gonzagam ubertam ad octua geſimum fermè perductam annum excellentisſimum Matthæum Zafardum legum Docto. ad ſeptuageſimum quintum nauigantem cum clarisſimo Antonio Capriana, Dominam Lenam Aldegatam in ſeptuageſimo tertio anno conſtitutam, cum clarisſimis doctoribus Io. Baptiſtæ de Michaelis, Iulio Delphino, Dominam Catharinam Boſiam eiuſdem ætatis cum excellentisſimo Hiero. Papaciono, Hieronymo Sybilla, poſtremo proximis iis diebus dominam Paulam groſſam, ad annos duos ſupra ſeptuaginta properantem poſt grauem quæ præceſſerat ægritudinem ſanauimus. Innumeros prætera alios annoſos, imbecillesq; hoc morbo laborantes, quos omnes referre nimis moroſum eſſet. Hac tutisſima naui ad ſalutis portum Dei Opt. Maximi ope perduximus. Verum hic Galeni ſectatores libenter interrogaſſem, num ſuam hanc copioſam in iis enarratis ægrotantibus per initia morbi phlobotomiam adminiſtraſſent, negarent profecto (ni fallor) id ſe facturos, quam ob rem (ut puto) hic Galeni curandi modus præcipitium atque quoddam temere factum potius quàm curandi ratio, appellandus eſt, quanuis Galenus (ut fasſi etiam nos ſumus) modeſtius hac in re loqui uiſus fuerit, quum de noſtro medendi modo dixerit, uel non prodeſſe. uel omnino poſt tempus, quod longe ab eo intereſt, quod nos de ipſius modo dicimus, nempè quod plurimum noceat, at quod grauius eſt quòd interficiat, per ſe, curet uero per accidens, id quod hercle non ex noſtra immodeſtia euenit, ſed diuerſa quidem ratione, Galenus enim probè nouit, noſtrum hunc modum methodos non præterire, nos uero ſuum illis plurimum aduerſari non dubitamus, quæ ſanè res noſtrum nimis concitauit animum, & de hoc ſatis.

LECTORIBVS LVDO. PA-
nizza, ſuæ peractæ actionis ratio-
nem reddens.

n Oſtras has rationum aduerſus nos pugnantium diſſolutiones quas pro uirium noſtrarum imbecillitate excogitauimus, ad magnificum excellentiſſimumq; hunc Doctorem Madium tranſmiſsimus, qui quum eas probè conſideraſſet, quod animi dotibus plurimum ſplendeat: Ne ulla unquam apud poſteros in eum cenſura relinqueretur, quum maxime huiuſmodi negocium non philoſophis, ſed medicis magis proprium ſit, in hunc ſe ſe habuit modum. Nempè per eius literas mihi ſignificauit. Quòd tam & ſi rationes, ſolutiones'ue hæ noſtræ ad ſuas ultimas ambiguitates ſatis ei coloratiores uiderentur, nihilo tamen ſecius ne forte aliquis in hominum uita contingeret error. Antea quam rem penitus per eius extremam ſententiam abſolueret. Placere illas ſibi prius ad aliquem trium clariſsimorum Doct. uidelicet ad Antonium Muſam Braſaolam, aut ad Hiero. Fracaſtorium, aut ad Io. Baptiſtam Montanum deferri, quas ſi quiſpiam eorum (quiſquis is foret) comprobaſſet: Mox ſuum nobis calculum confeſtim ac lubentiſsime traditurum pollicitus eſt. Ego ut tanto uiro parerem, tam & ſi horum unuſquiſque præclari non minus ſit ingenii, quàm eximiæ doctrinæ, resq; unaquæque quantumcunque abdita, atque ardua exiſteret: Tuto eis demandari poſſet, in clariſsimum Magnificumq; Anto. Muſ. Braſao. tamen conſenſi, quòd ab eo res paulo ante pertractata fuiſſet, qui ſanè uir doctiſsimus eas iis magnifice approbauit uerbis, quæ inferius à nobis ponuntur, ut cuiq; legenti pateant, quibus planè lectis ipſe magnificus atque preclarus Madius omni ab eius mente iam dempto ſcrupulo: Nobis per hæc ſubſequentia uerba ſubſcripſit.

SENTENTIA.

EXCELLENTISSIMVS VINCENtius Mad. Ludouico Panizzæ fœlicitatem.

E literis tuis intellexi Doctor Excellentisſime, Anto. Muſam Braſao. uirum magnificum, atque in arte medica excellentisſimum, cui iure optimo fides eſt adhibenda. Cenſuiſſe dubitationes meas, quibus contra concluſionem excellen. tuæ de pleuritide ire poſſe mihi uiſum fuerat, ex reſponſionibus tuis optimè ſolutas, quæ res mihi perquam iucunda fuit, quo circa concluſionem tuam laudo, & comprobo. Deumq́ꝫ præcor ut tibi omni uirtutum genere ornatisſimo, ad communem hominum ſalutem uitam concedat longisſimam, Vale atque me (ut facis) ama. Ex Brixia 5. Octobris. 1543.

EXCELLENS ANTO. MVS. Braſaolus Ludouico Panizzæ Benè agere.

Arbitror mi excellentisſime Panizza aut excellentiam tuam de me periculum ſumere uelle, aut potius deridere, quum me elegiſti tuarum rationum & excellentisſimi Vincentii Mad. iudicem. At deinceps quis putabit, uirum tam probum, tam doctum, tamq́ꝫ in me propenſum (qualis es tu) magnifice & excellentisſime Panizza, aut de me diſcipulo, & uti filio, periculum uelle facere, aut deridere? equidem huius ſententiæ nunquam ero. Id tamen ſponte fatebor, quod in prouerbio dicitur, quum mihi id munus demandaſti, te Boui Clitellas impoſuiſſe, ego enim talis non ſum, qui inter tantos uiros posſim componere lites. Forte eos qui peregrinantur imitatus es, qui plerunque ineptioribus iumentis, & ſarcinulas & manticas imponunt. Quicquid tamen ſit, & quiſquis ego ſim, nominis tui præſtantia & probè quæ in te ſplendent literæ me uelim, nolim, tuis dictis obtemperarare cogunt, Propterea totis humeris onus hoc ſponte ſubibo, & excellentiæ tuæ morem geram, quanquam ad id impares ſint nobis uires. Studebimus uero quàm breuisſime & argumenta, & diſſolutiones repetere, ne excell. tuæ quæſtionem, pro maiori parte referre cogamur. Tribus ambiguitatibus ſententiam excell. tuæ magnificus & excellentisſimus Vincent. Mad. præmebat, prima eſt, Quum ſint quatuor pleuritidis cauſæ, totius repletio,

repletio, dolor, loci, calor attrahens, & imbecillitas membri ex intemperie: uenæ ſectio in talo ſolam plenitudinem remouet, & non alias cauſas, igitur ab ea ſectione inchoandum non eſt: Sed ab ea potius, quæ cauſas illas quatuor aufert. Qualis eſt, quæ in eodem latere fit, addit, ſi pedis uena ſecta dolor ceſſaret, fateri id eueniſſe cogeretur. Quòd in dolente loco, uacuum factum ſit, at hoc ex baſilica proxima facilius fit, quæ & cordi, & iocinori proxima eſt: unde totius repletionem aufert & hinc ſtatim dolor aufertur: Qui ex uenæ pedis ſectione ablatus non eſt, præterea abſceſſus partim factus eſt, & partim fit, ſectio autem in brachio factum aufert, & quod facturum eſt prohibet: quæ a pedis uena ſecta non fiunt (de uena etenim brachii nullus eſt qui ambigat eam euacuare) quòd uero diuertat iis uerbis probat, ſanguinem ire ad brachium læſæ partis, eſt ire ad alium à læſa parte locum, his additur quum ad ſecandam uenam loci iudicatio plurimum moueat, ubi inflammatio cordi propinqua exiſtat, cur eo caſu non debemus euacuatione quàm primum occurrere? Hæc ſunt meo iudicio, quæ ad primam ſpectare uidentur, quàm breuisſime à nobis relata ne & nos magnam excellent. tuæ quæſtionis partem tranſcribamus.

Ad hanc ambiguitatem tua excell. reſpondens ſupponit, de abſceſſu ſermonem fieri, qui per localem motum conficiatur. Et non per congeſtionem paulatim factam, & cauſas quatuor pleuritidis aſsignatas ab excellentisſimo Madio repræhendit, de quare uobis diſputandum relinquo. Vnde quum pleuritis per fluxionis modum fiat, Quæ fluxio cauſa eſt doloris, & caloris, præterea opus eſt. Motum hunc ad oppoſitam partem, & maxime oppoſitam ducere. Quoniam ſi ab eodem fiat latere, quatuor ea non aufert, ſed potius augebit, & in abſceſſu fluxione facto quatuor illa potius auferuntur repletio inquam totius, dolor loci, calor attrahens & membri imbecillitas, quando ſcilicet abſceſſus in principio fuerit, & fiat per motum localem, tunc enim per oppoſitum motum in oppoſita parte ſectio fieri debet, & reliqua, quæ excell. tua diffuſisſime & doctisſime differit, quę tamſi nos breuisſime retulimus, & tantum capita (ſed & ea quidem mutilata) ad aliud inquis, eſſe quidem factum uacuum, ſed non à uenæ ſectione immediate, at à uirtute cum calore eiuſdem membri, tanquam ab efficiente, & à ſectione uenæ pedis, ut à remouente prohibens factum eſt, quum igitur principium ſit oppoſitam fini, & in fine ſit euacuandum,

in

in principio erit reuellēdum. At quum euacuatio fiat à propinquis partibus neceſſario à remotioribus fiet reuulſio.

Ad aliud excellentia tua loquitur in principio abſceſſus, in quo nulla uel paucisſima eſt collecta materia propterea euacuatione ad huc non indigemus, ſed ſola reuulſione. Verũ tamen in augmẽto in quo magna materiæ portio coaceruata eſt, reuulſione ſimul & euacuatione indigemus, quæ egregie ab excell. tua longioribus uerbis comprobantur. Ad id de loci dignitate etiã reſpondet. Nobile quippè membrum ſolum iudicare, ut citius & ſummo cũ ſtudio illi ſuccurrendum ſit, at ob hanc cauſam dici non debet. Contra methodos agendum eſſe, unde fluens humor ad nobilisſimum membrum illico reuellendum eſt per contrariam & remotisſimam partẽ: nos igitur ut quicquid ſentimus aperiamus, ſemper tuis fundamẽtis ſuppoſitis ad unguem illi ambiguitati ſatisfactũ eſſe iudicamus, & aliis eidem ambiguitati annexis argumentis.

Secunda ambiguitas magnifici & excellentisſimi Madii probare nititur, modum curationis tuæ excell. conuenire cum Galeno, quia ſi in principio pauca eſſet materia, in ſede abſceſſus, & pauca in uenis propinquis, in hoc caſu Galenus uenã in pede ſecaret. Quippè qđ præſeruatiua curatione uteretur, cui auerſio debet, ſcilicet quæ per remotisſima fit. At Galenus in plectorico corpore uerba facit, in quo & uenæ abſceſſui propinquę, plenę ſunt. In hoc caſu ex qua parte ſecanda eſt uena in principio diſcutiendum foret. Ad iſtam ſecundam ambiguitatem excell. tua egregiè declarat. Hunc curationis modum à Galeni modo differre, at quum additur, Galenum loqui in plectorico corpore, in quo uenæ propinquæ ſunt repletæ, ſoluit tua excell. hunc morbum tunc non eſſe in principio motus materię ad locum, in quo abſceſſũ fieri debet. Et diffuſisſime probat atque egregiè argumentis ex philoſophornm ſchola ſumptis in principio materiam in principio in ibi eſſe non poſſe, uel ſaltim multã, eſſe non poſſe, nos iterum ex iactis ab excell. tua fundamentis egregiè ambiguitati ſecundæ ſatisfactum eſſe cenſemus.

Tertia magnifici domini Mad. ambiguitas eſt quum ab excellẽ. tua dictum ſit, ſanguinis misſionem per eandem partem obeſſe plurimum, & non prodeſſe D. ipſe, quum pleruitis morbus ſit periculoſisſimus, & ſectio uenæ ab eodem latere multum obſit, cur maxima pleureticorum pars ita ſecta uena non obit? At maiorem

iorem partem ita ſeruari uidemus, ſi excell. tua dicit caſu ſeruari, inquit mirum uidetur, tot ſeruari, quum caſus in paucioribus ſit. Miraturq; tuam excell. dicere plurimum obeſſe, quum dicere potuiſſet, parum prodeſſe, aut poſt tempus, quem ad modum Galenus dicit, de uera oppoſita ſecta. Ad iſtam ambiguitatem tua excell. reſpondet, falſum eſſe quod in uenæ ſectione ab eodem latere in principio facta, quòd multi ſanentur, ægri, & ſi aliqui ſanantur, id à caſu eſſe iudicandum, uerum ſi multi ſeruentur, ex ſecta ſaphena nõ eſt à caſu, ſed ex methodo, & ſi aliqui nonnunquam moriuntur, eſt ex ui morbi, non ex methodo, qua ſeruata maior utique pars ſeruatur. Hæc ſunt compendioſe, quæ amplè ab excell. tua in quæſtione dicta ſunt, iudicamus & hanc tertiam ambiguitatem, ſimul cũ aliis egregiè diſſolutam eſſe, neque dubitamus magnificum Madium ſi tuis adhæreat fundamentis quæ uera ſunt & certo quodam philoſophiæ tramite incedũt ac Methodo iis ſolutionibus aſſentire oportere. Et hic huius tam utilis pro hominum uita quæſiti Diis immortalibus quibus omnes habendæ ſunt gratiæ, ac probis penè diuinis hominibus fauentibus, iam finis ſit.

FINIS.

REGISTRVM.

A a b c d e f g h i k l m n o p q r.

Terniones omnes, præter r, quaternionem.

VENETIIS
Apud Ioan. Franciſcum Camocium, Ad ſignum Piramidis.
MDLXI

Errata ſic corrigito.

In primo quinterno A,carta v.b, ideſt a tergo,linea xvii.procraſtinator. & non procraſtinatur. Fol.1.a,lin.viii.& noxius. & lin. xviii.nixa perſtet. fol.eo.b,lin.vi.poſt luctam. & lin.vii. deploratæ calamitati, & lin.xxxv.publicum uſum. fol.4.b, lin.35. Præter te. fol.5.a,lin.23.religione admirando atq; imitando. fol.eo.b, lin.9. id quod. & lin.23.Cui ſi. fol.7.b,lin.22.cur Galenus. fol. 9.a, li. 17.duos neceſſarios. fol.eo.b,lin.9.quoq; facimus. & lin.13.Hipp. ſugillat eodemq; illum condemnat.& lin.14.(ipſa anathome). fol. 10.a,lin.6.his ita præmiſsis. fol.eo.b,lin.xi.profuſus amor.fol.13.a, lin.xxi.par uidetur.& lin.24.aliud inconueniens. fol.18.a,lin.i.diſtenſionem ac. fol.20.b,lin.24.duplici poteſt.& lin.25.aut ad. & in gloſa,lin.3.totum.fol.21.a,lin.4.eo cum ſecta cōpertum.fol.22 b,lin.18. bene fida comes. fol.25.a,lin.xiii.merito quum. fol.eo.b, lin.xi. euitamus ſcopulum. fol.26.a,lin.xvi.reuulſionis quippè. fol.27.a,lin.v.præmittatur euacuatio. fol.28.a,lin.xxi.pharmaco (ipſo authore). fol.30.b,lin.29.Nam phrenitide. fol.31.b, lin.6. modum,ab.& lin.33.diſectionibus probè. fol.32.b,lin.23. propoſitiones. fol.35.a,lin.xvi.infinities. & lin.xxi.ſermonem. & lin.xxiii. quidem. & lin.xxix.reuellit,ſi.fol.eo.b,lin.xvii.ualeat.fol.36.a,li.vi. euacuatiuam effici. & lin.xxvi.ab euacuatione. fol.37.a, lin.xxvii. cauſam moti. fol.40.b,lin.9.nobis non des. fol.41.a,lin.i. & impermixtæ. & lin.x. cui uis. & lin.xxiiii.extollendum eſſe. fol. 43 a, lin.i. dextrā pleuritidem. fol.61.a,quàm pro. fol.63.a,lin.28.clangoſa eſt. fol.65.a,lin.xiii.qua re.& lin.26.recedit. fol.67.b, lin. xxi.legislatore optimo. fol.72.a,lin.9.ducatur,ſic. & lin.xii. ſunt motus. fol.73.a,lin.xv.ſuſpenſum, nihil mihi longius fuiſſe uelim ſcias,quàm. fol.eo.b,lin.iiii.q̄ ſubiectas. fol.74.b,lin.xx. deſtruere tentauimus. fol.75.a,lin.v.in ea ſaltem quantitate. fol 76.b, lin. xi.ut Genuinæ. fol.77.a,lin.x.ſi et. fol.79.b,lin.xii.omnino naturæ.& lin.17.quæ in. fol.82.b,lin.xii.ſunt medici. fol.85.a, lin.18. nimirum expoſitiones. fol.86.a,lin.xvi,cōmixtionem mali. & lin. 32.cōmixtas extrahere. fol.86.b,lin.2.minus clariſsime. & li.3. ab eo. & lin.4.& quænam. fol.88.b, lin.v.Quam. fol.89. lin. 20.& motuum. fol.91.a,lin.24.uidebar enim. fol.96.a, lin 28.iuuetur, quòd. fol.99.lin.35.ſeruati.